SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

IN USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

II.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

Professor p. o. Theologiae in C. R. Universitate Oenipontana.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1868.

IN ORATIONEM DOMINICAM

TERTULLIANI, S. CYPRIANI

ET

S. THOMAE AQUINATIS

COMMENTARIA.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

Pag.

1. Quinti Septimii Florentii Tertulliani liber de oratione 1
2. S. Cypriani liber de oratione 42
3. Accedit D. Thomae Aquinatis expositio in orationem dominicam 88

QUINTI SEPTIMII
FLORENTII TERTULLIANI

LIBER DE ORATIONE. [1])

CAPUT I.

Jesus Christus N. Testamenti novam orationis formam docuit, triaque in oratione servanda praecepta tradidit.

Dei spiritus et Dei sermo et Dei ratio, sermo rationis et ratio sermonis et spiritus[2]),

---

[1]) Licet Tertullianus propter tristissimam suam a fide defectionem Patribus adnumerari nequeat, nedum SS Patribus, morem tamen auctoritatemque aliorum sequentes praestantiora quaedam illius opuscula ab hac collectione non censemus excludenda, sunt enim aliqua eruditorum omnium suffragio adeo insignia, ut de illis merito Vincentius Lirinensis (Commonit. 1. n. 18) scribere potuerit: „quot pene verba tot sententiae sunt; quot sensus tot victoriae.“ Inter haec vero numeranda est ejus expositio orationis dominicae, quam jam S. Hilarius (cap. 5 in Matth. n. 1) *aptissimum volumen* vocavit.

[2]) *Λόγος* proprium Filii Dei (apud Joan. 1, 1 et hinc) apud graecos nomen varias latine interpretationes habuit, nempe *Verbi*, *Sermonis*, *Rationis*. Latinis hisce nominibus promiscue usi sunt

utrumque Jesus Christus Dominus noster, nobis discipulis novi Testamenti novam orationis formam determinavit. Oportebat enim in hac quoque specie novum vinum novis utribus recondi et novam plagulam novo assui vestimento. Ceterum quidquid retro fuerat, aut demutatum est, ut circumcisio, aut suppletum, ut reliqua lex, aut impletum, ut prophetia, aut perfectum ut fides ipsa. Omnia de carnalibus in spiritualia renovavit nova Dei gratia, superducto evangelio, expunctore totius retro vetustatis. In quo et Dei spiritus et Dei sermo et Dei ratio approbatus est Dominus noster Jesus Christus; spiritus, quo valuit, sermo, quo docuit, ratio, qua venit. [1])

---

veteres Ecclesiae scriptores, ut idem significarent. (Muratori.) Cur autem Deum Patrem, animadvertit Pamelius h. in l., Sermonis quoque et Rationis appellatione hic Tertullianus donet, mirabitur quisquis veterum loquelam e recentiorum sermone metiri velit. At cum τοῦ λόγου vox anceps *rationem, cogitationem, mentem* ac *intellectionem* significet, eo sensu Patri quoque facta est communis et τοῦ λόγου et *rationis* et *sermonis* appellatio. Quamobrem λόγος ἐκ λόγου *Verbum de Verbo* a nonnullis Patrum dictus est Filius.

[1]) Horum verborum sensus est: Spiritus Dei approbatus est virtute, qua tot miracula patravit; Dei sermo doctrina, quam proposuit; Dei ratio adventu suo, quo mundum verbis et exemplis renovavit.

Sic igitur oratio a Christo constituta, ex tribus constituta est: ex sermone, quo enunciatur, ex spiritu, quo tantum potest, ex ratione, qua suscipitur. Docuerat et Joannes discipulos suos adorare; sed omnia Joannis Christo praestruebantur, donec ipso aucto (sicut idem Joannes praenuntiabat illum augeri oportere, se vero deminui) totum praeministri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum. Ideo nec exstat, in quae verba docuerit Joannes adorare, quod terrena coelestibus cesserint. *Qui de terra est*, inquit, *terrena fatur et qui de coelis adest, quae vidit, ea loquitur*. (Joan. 3, 31). Et quid non coeleste, quod Domini Christi est, ut haec quoque orandi disciplina? Consideremus itaque, benedicti, coelestem ejus sophiam[1]), inprimis de praecepto secrete adorandi, quo et fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum sub tectis et in abditis etiam adesse confideret, et modestiam fidei desiderabat, ut quem ubique audire et videre fideret, ei soli religionem suam offerret, sequente sophia in sequenti praecepto; quod etsi proinde pertineat ad fidem et mo-

[1]) Tres gradus sophiae seu tria praecepta Sapientiae Dei i. e. Filii Dei in oratione servanda distinguit. Primum est ut *secreto*, secundum ut *cum fide*, tertium ut *breviter* oremus.

destiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem ultro suis prospicere certi sumus: attamen brevitas ista, quod ad tertium sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatae interpretationis substantia fulta est, quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, venerationem Dei aut hominis petitionem, sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinae, ut revera in oratione breviarium totius evangelii comprehendatur.

CAPUT II.

Merito fidei Deus Pater noster est; in Patris vero appellatione etiam Filius invocatur nec Ecclesia praeteritur.

Incipit a testimonio Dei et merito fidei, quum dicimus: *Pater qui in coelis es.* Nam et Deum oramus et fidem commendamus, cujus meritum est haec appellatio. Scriptum est: *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem, ut filii Dei vocentur* (Joan. 1, 11): quamquam frequentissime Dominus patrem nobis pronuntiavit Deum, imo et praecepit, ne quem in terris patrem vocemus, nisi quem habemus in coelis (Matth. 23, 9). Itaque

sic adorantes etiam praeceptum obimus. Felices, qui patrem agnoscunt. Hoc est, quod Israëli exprobratur, quod coelum ac terram Spiritus contestatur, *filios*, dicens, *genui, et illi me non agnoverunt* (Is. 1, 2). Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista et pietatis et potestatis est. Item in Patre Filius invocatur. *Ego enim*, inquit, et *Pater unum sumus* (Joan. 10, 30). Ne mater quidem Ecclesia praeteritur. Siquidem in filio et patre mater recognoscitur, de qua constat et patris et filii nomen. Uno igitur genere aut vocabulo et Deum cum suis honoramus et praecepti meminimus et oblitos patris denotamus[1]).

---

[1]) Quae obscurius Tertullianus dicit, clarius exponit S. Cyprianus in suo libello de oratione dominica, qui proinde utiliter consuletur. Ita ex. gr. quae breviter expressit Tertullianus verbis: „et oblitos denotamus“ clara redduntur hisce S. Cypriani l. c. n. 10: „Quae vox (Pater noster) etiam Judaeos perstringit et percutit, qui Christum sibi per Prophetas annuntiatum et ad se prius missum, non tantum infideliter spreverunt, sed et crudeliter necaverunt, qui jam non possunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat et redarguat dicens: Vos de diabolo patre nati estis etc. In quorum exprobrationem Christiani quando oramus, *Pater noster*, dicimus, quia noster esse coepit et Judaeorum, qui eum reliquerunt, esse desiit.“

CAPUT III.

Nomen Dei Patris a Filio manifestatum in se quidem sanctum ut in nobis aliisque sanctificetur petimus.

Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat: etiam qui de ipso interrogaverat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis revelatum est in Filio. Jam enim Filius novum Patris nomen est[1]). *Ego veni*, inquit, *in nomine Patris* (Joan. 5, 43); et rursus: *Pater, glorifica nomen tuum;* et apertius: *Nomen tuum manifestavi hominibus* (17, 55). Id ergo, ut *sanctificetur*, postulamus. Non quod deceat homines bene Deo optare, quasi sit et aliud de quo ei possit optari aut laboret, nisi optemus. Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus, ab omni homine. Sed et hoc benedictionis vice fungitur. Ceterum quando non sanctum et sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cum ceteros sanctificet ex semetipso? Cui illa angelorum circumstantia non cessat dicere: *Sanctus, san-*

---

[1]) *Dei* nomen Moysi quidem patefactum, at nomen *Dei Patris* nemini et ne ipsi quidem Moysi proditum fuerat. *Patris* ergo nomen novissime cognitum, cum Filii nomen in Christo innotuit. Si enim Christus Dei Filius, ergo et Deus Pater. (Murat.)

ctus, sanctus (Is. 6, 3). Proinde igitur et nos angelorum, si meminerimus, candidati jam hinc coelestem illam in Deum vocem et officium futurae claritatis ediscimus. Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quantum ad nostram petitionem, cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, id petimus, ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus; simul et in ceteris, quos adhuc gratia Dei exspectat, ut et huic praecepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris. Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes: sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

CAPUT IV.

Rogamus Deum ut vires nobis subministret ad explendam ejus voluntatem, quam Jesus Christus praedicando, operando, sustinendo nos docuit.

Secundum hanc formam subjungimus: *Fiat voluntas tua in coelis et in terra*, non quod aliquis obsistat, quominus voluntas Dei fiat, et ei successum voluntatis suae oremus, sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus; ex interpretatione enim figurata carnis et spiritus nos sumus coelum et terra; quamquam etsi simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, ut in nobis fiat

voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in coelis. Quid autem Deus vult, quam incedere nos secundum suam disciplinam? Petimus ergo, substantiam et facultatem voluntatis suae subministret nobis, ut salvi simus et in coelis et in terris, quia summa est voluntatis ejus salus eorum quos adoptavit. Est et illa Dei voluntas, quam Dominus administravit praedicando, operando, sustinendo. Sic enim ipse pronuntiavit, non suam, sed Patris facere se voluntatem. Sine dubio, quae faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quae nunc nos velut ad exemplaria provocamur, ut et praedicemus et operemur et sustineamus ad mortem usque. Quae ut implere possimus, opus est Dei voluntate. Item dicentes: *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis bene optamus, quod nihil sit mali in Dei voluntate, etiam si quid pro meritis cujusque secus irrogatur. Jam hoc dicto ad sufferentiam nosmetipsos praemonemus. Dominus quoque cum sub instantiam passionis infirmitatem carnis demonstrare jam in sua carne voluisset: *Pater*, inquit, *transfer poculum istud;* et recordatus: *nisi quod mea non, sed tua fiat voluntas* (Luc. 22, 42). Ipse erat voluntas et potestas Patris, et tamen ad demonstrationem sufferentiae debitae voluntati se Patris tradidit.

CAPUT V.

Optamus maturius regnare et non diutius servire.

Veniat quoque regnum tuum ad id pertinet, quod et *fiat voluntas tua*, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, *in cujus manu cor omnium regum est* (Prov. 21, 1)? Sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur et illi deputamus, quod ab illo exspectamus. Itaque si ad Dei voluntatem et ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repraesentatio [1]), quomodo quidam protractum quendam seculo postulant, quum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem seculi tendat? Optamus maturius regnare et non diutius servire. Etiamsi praefinitum in oratione non esset de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus, *festinantes ad spei nostrae complexum* (Hebr. 4, 11). Clamant ad Dominum in visu animae martyrum sub altari: Quonam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terrae (Apoc. 6, 9)? Nam utique ultio illorum a seculi fine dirigitur.

---

[1]) Suspensio idem ac exspectatio; repraesentatio significat hic adventum regni Dei, quo illud praesens nobis sistitur, proinde illius donationem.

Imo quam celeriter veniat, Domine, regnum tuum! Votum Christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum, propter quod conflictamur, imo potius propter quod oramus.

CAPUT VI.

Alimenta tum spiritalia tum corporea petimus.

Sed quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit, ut post coelestia, id est, post Dei nomen, Dei voluntatem, et Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret! Nam et dixerat Dominus: *Quaerite prius regnum, et tunc vobis etiam haec adjicientur* (Matth. 6, 33); quamquam *panem nostrum quotidianum da nobis hodie* spiritualiter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vita panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitae* (Joan. 6, 35). Et paulo supra: *Panis est sermo Dei vivi, qui descendit de coelis.* Tum quod et corpus ejus in pane censetur [1]):

---

[1]) Tertullianus, ut in h. l. animadvertit Albaspinaeus, loquitur ut plurimum verbis jurisconsultorum propriis, apud quos *censetur* idem sonat ac *est*, quare horum verborum sensus non alius est, quam corpus Christi panem nostrum esse, ut patet etiam ex hujus petitionis expositione apud Cyprianum n. 18.

Hoc est corpus meum (Luc. 22, 19). Itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo et individuitatem a corpore ejus. Sed et quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritualis disciplinae. Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est; *cetera enim nationes requirunt* (Matth. 6, 32). Ita et exemplis inculcat et parabolis retractat, cum dicit: *Numquid panem filiis pater aufert et canibus tradit* (ib. 15, 26)? Item: *Numquid filio panem poscenti lapidem tradit* (ib. 7, 9)? Ostendit enim, quid a patre filii exspectent. Sed et nocturnus ille pulsator panem poscebat. Merito autem adjecit: *Da nobis hodie*, ut qui praemiserat: *Nolite de crastino cogitare quid edatis* (ib. 6, 34). Cui rei parabolam quoque accommodavit illius hominis, qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum et longae securitatis spatia cogitavit, is ipsa nocte moritur (Luc. 12, 16).

CAPUT VII.

Domini precamur clementiam.

Consequens erat, ut observata Dei liberalitate etiam clementiam ejus precaremur.

Quid enim alimenta proderunt, si illis reputamur revera, quasi taurus ad victimam? Sciebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque petamus *dimitti nobis debita nostra*. Exomologesis est petitio veniae, quia qui petit veniam delictum confitetur. Sic et poenitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia vult eam quam mortem peccatoris. Debitum autem in scripturis delicti figura est, quod perinde judicio debeatur et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi servo Dominus debitum remisit (Matth. 5,25 s. col. Luc. 7,41 sqq.). Huc enim spectat exemplum parabolae totius. Nam et quod idem servus a Domino liberatus non perinde parcit debitori suo ac propterea delatus penes Dominum tortori delegatur ad solvendum novissimum quadrantem, id est modicum usque delictum, eo competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. Jam et alibi ex hac specie orationis: *Remittite*, inquit, *et remittetur vobis* (Luc. 6, 37). Et cum interrogasset Petrus, si septies remittendum esset fratri: *Imo*, inquit, *septuagies septies* (Matth. 18,22); ut legem in melius reformaret, quod in Genesi de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies ultio reputata est (Gen. 4, 24).

CAPUT VIII.

Expositio petitionis sextae et septimae.

Adjecit ad plenitudinem tam expeditae orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus: *Ne nos inducas in tentationem*, id est, ne nos patiaris induci, ab eo utique, qui tentat. Ceterum absit, ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque aut dejicere gestiens. Diaboli est et infirmitas et malitia. Nam et Abraham non tentandae fidei gratia sacrificare de filio jusserat, sed probandae, ut per eum faceret exemplum praecepto suo, quo mox praeceptu-rus erat, neque pignora Deo cariora habenda. Ipse a diabolo tentatus praesidem et artificem tentationis demonstravit. Hunc locum posterioribus confirmat: *Orate*, dicens, *ne tentemini* (Luc. 22, 46). Adeo tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potius indulserant, quam orationi. Eo respondet clausula interpretans quid sit, ne nos deducas in tentationem. Hoc est enim: *Sed evehe nos a malo.*

CAPUT IX.

Praestantia orationis dominicae admirabilis.

Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, evangeliorum, apostolorum, sermones Domini, parabolae, exempla, praecepta! Quot simul expunguntur officia [1])! Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitae in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelae. Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, et de spiritu ipsius jam tunc, cum ex ore divino ferretur, animata, suo privilegio ascendit in coelum, commendans Patri quae Filius docuit.

CAPUT X.

Orationi dominicae alias licet addere petitiones.

Quoniam tamen Dominus prospector humanarum necessitatum, seorsum post tradi-

---

[1]) Expunguntur i. e. implentur. Officia quae oratione hac implentur recenset dein Tertullianus: Honorem nimirum Deo exhibemus etc.

tam orandi disciplinam, *petite*, inquit, *et accipietis* (Luc.11,8), et sunt, quae petantur pro circumstantia cujusque, praemissa legitima et ordinaria oratione quasi fundamento: accidentium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus petitiones, cum memoria tamen praeceptorum, ne quantum a praeceptis, tantum ab auribus Dei longe simus.

CAPUT XI.

Animo pacifico orandum est.

Memoria praeceptorum viam orationibus sternit ad coelum, quorum praecipuum est, ne prius ascendamus ad Dei altare, quam, si quid discordiae vel offensae cum fratribus contraxerimus, resolvamus (Matth. 5, 23). Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace, ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam et Joseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem, et *ne*, inquit, *irascimini in via* (Gen. 45, 24); nos scilicet monuit. Alias enim via cognominatur disciplina nostra [1]). Tum ne in via orationis constituti, ad patrem cum ira incedamus. Exinde

[1]) Ut ex. gr. Act. 9, 2.

aperte Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit, ne verbo quidem malo permittit expungi [1]); etiam si irascendum est, non ultra solis receptum, ut Apostolus admonet (Ephes. 4, 26). Quam autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem, perseverante iracundia, perdere!

CAPUT XII.

Animo tranquillo et puro Deus est orandus.

Nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit a Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis a laeto, aut impeditus a libero. Nemo adversarium repetit, nemo nisi comparem suum admittit.

CAPUT XIII.

Ante orationem manus non aqua lavandae, sed a vitiis servandae sunt mundae.

Ceterum, quae ratio, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire,

---

[1]) Christus *amplians legem* i. e. perficiens damnato homicidio iram quoque damnavit, ne convicio quidem permittens eam impleri.

quando et ipsis manibus spirituales munditiae sint necessariae, ut a falso, a caede, a saevitia, a veneficiis, ab idololatria, ceterisque maculis, quae spiritu conceptae manuum opera transiguntur, purae alleventur? Hae sunt verae munditiae, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes. Id cum scrupulose percontarer et rationem requirerem, comperi commemorationem esse in Domini deditionem[1]). Nos Dominum adoramus, non dedimus, imo et adversari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, nisi quod conversationis humanae inquinamentum conscientiae caussa lavemus.

CAPUT XIV.

Christianorum manus mundae per baptismum.

Ceterum satis mundae sunt manus, quas cum toto corpore in Christo semel lavimus. Omnibus licet membris lavet quotidie Israël,

[1]) Quare manus ante preces abluerent, nonnulli a Tertulliano interrogati, se id facere respondebant in commemorationem dominicae deditionis, quod videlicet Pilatus, priusquam Christum dederet Judaeis, manus lavit. (Murat.)

nunquam tamen mundus est; certe manus ejus semper immundae, sanguine prophetarum et ipsius Domini cruentatae in aeternum. Et ideo conscientia patrum haereditarii rei nec attollere eas ad Dominum audent, ne exclamet aliquis Esaias, ne exhorreat Christus. Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus, e Dominica passione modulatum[1]) et orantes confitemur Christo.

CAPUT XV.

Ritus inanes vitandi.

Sed quoniam unum aliquod attigimus vacuae observationis, non pigebit cetera quoque denotare, quibus merito vanitas exprobranda est, si quidem sine ullius aut Dominici aut apostolici praecepti auctoritate fiunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata et coacta et curiosi potius quam rationalis officii, certe vel eo coërcenda, quod gentilibus adaequent; ut est quorundam, positis paenulis orationem

---

[1]) Muratori et Rigaltius ita legunt. E. F. Leopold in sua editione a. 1839 censet legendum esse: Dominicam passionem modulantes. Sensus vero est, ideo Christianos manibus orare expansis, ut se conforment ad figuram Christi crucifixi.

facere[1]); sic enim adeunt ad idola nationes. Quod utique si fieri oporteret, apostoli, qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant Paulum paenulam suam in oratione penes Carpum reliquisse (2 Tim. 4, 13). Deus scilicet non audiat paenulatos, qui tres sanctos in fornace Babylonii regis orantes cum sarabaris[2]) et tiaris suis exaudivit?

CAPUT XVI.

De eodem argumento.

Item quod assignata[3]) oratione assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem; nisi si Hermas ille, cujus scriptura fere Pa-

---

[1]) Paenula vestium genus fuit, quas pluvioso frigidoque coelo veteres induebant. Has antequam precibus operam darent quidam e Christianis deponendas arbitrabantur. (Murat.)

[2]) Sarabara erant quaedam crurium aut femorum integumenta.

[3]) Assignata, i. e. perfecta ac, ut infra dicit, transacta. Damnat eos qui sedere post orationem consueverunt. Non video, inquit, hujus instituti rationem, nisi forte trahunt hoc ex libro Pastoris condito ab Herma, in quo narrat (Proëm. L. 2.) se post orationem lecto assedisse. Sed ibi narrat rem gestam, non praecipit, ut id nos agamus. Quid ergo, inquit, si aliud fecisset, hunc imitaremur? nequaquam. (Panciroli.)

stor inscribitur, transacta oratione non super lectum assedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus. Utique non; simpliciter enim et nunc positum est: „cum adorassem et assedissem super lectum“; ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinae. Alioquin nusquam erit adorandum, nisi ubi fuerit lectus. Imo contra scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit. Porro cum perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis[1]) residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur. Eo apponitur et irreverentiae crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Si quidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem

---

[1]) Sigillaria seu sigilla erant signa parva seu icunculae et imagunculae ac simulacra deorum modo palmaria, modo cubitalia, ita membris artificiose compacta, ut nervis tracta vel fidibus mota vivere, obambulare et reliquos humani corporis motus exercere atque imitari possent. Nostro quoque aevo similia habemus, quibus Romae nomen *popacci* et in Gallia *marionettes*, iisque comoedias interdum actas vidimus. Tertullianus igitur ut falsa numina eorumque signa decenti nomine insigniat, *sigillaria* vocat, quod vera carerent anima atque aliena tantum ope moverentur. (Murat.)

cum maxime reverearis ac venereris; quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit.

CAPUT XVII.

Modesta sit oratio.

Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior pharisaeo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subjectos[1]) esse oportet; aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est sicut conspector. Daemonium oraculi Pythii: „Et mutum, inquit, intelligo et non loquentem exaudio.“ Dei aures sonum exspectant? Quomodo ergo oratio Jonae de ventre ceti per tantae bestiae viscera ab ipsis

[1]) Subjectos i. e. submissos, ne proximum turbemus, ut infra dicit.

abyssis per tantam aequoris molem ad coelum potuit evadere? Quid amplius referent isti, qui clarius[1]) adorant, nisi quod proximis obstrepunt? Imo prodendo petitiones suas quid minus faciunt, quam si in publico orent?

CAPUT XVIII.

Osculum pacis est orationis signaculum.

Alia jam consuetudo invaluit; jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis[2]).

---

[1]) clarius i. e. voce clara atque altiori.

[2]) Nihil apud eruditos magis vulgatum, quam quod in publicis precibus et sacris faciendis, quin imo et in viis et in aedibus privatis Christiani se osculo pacis consalutare atque ad concordiam ac pacem invitare solerent. Ideoque *signaculum orationis* appellatur a Tertulliano, quod Christianorum preces et omnia fere ecclesiastici ritus sacramenta hujusmodi pacis signo, veluti sigillo quodam fraternitatis concluderentur. At invaluerat apud nonnullos consuetudo ac opinio, tum osculum fratribus post orationem subtrahendum, cum ipsi jejunium aliquod sua sponte ac privata religione observabant. Pluribus argumentis morem ac sententiam illorum Tertullianus improbat, ostendens orationem sine osculo integram non esse: quin hunc magis decere pacem orationi conjungere, cum oratio per jejunium *commendabilior* ad Deum *ascendit*. Addit eti-

Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes, jam audeant de sua pace fratri transigere? Quae oratio cum divortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur? Quaecunque operatio[1]) sit, non erit potior praecepti observatione, quo jubemur jejunia nostra celare. Jam enim de abstinentia osculi agnoscimur jejunantes. Sed etsi qua ratio est, ne tamen huic praecepto reus sis, potes domi forte, inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem. Ubicunque autem alibi operationem[2]) tuam abscondere potes, debes meminisse praecepti; ita et disciplinae foris et consuetudini domi satisfacies. Sic et die Paschae, quo communis et quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum,

---

am, id a praecepto Domini abhorrere, quo jubemur jejunia nostra celare; neque vero ii celabant, quos idcirco abstinere ab osculo apparebat, quod jejunarent. (Murat.)

[1]) Semler et Leopold legunt *ratio*; in cod. Agob. legitur *oratio*; praeferenda videtur ratione contextus lectio Rigaltii et Murat. *operatio*.

[2]) *Operationem* i. e. jejunium.

nihil curantes de occultando, quod cum omnibus faciamus.

CAPUT XIX.

Sacra communio jejunium non solvit.

Similiter et stationum diebus[1]) non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo

---

[1]) Stationum nomine ecclesiastici scriptores significabant jejunium a Christianis celebratum, ita ut stationes quaelibet jejunia interdum fuerint appellata. Cum enim jejunabant fideles, mane summo in sacras aedes convenire ibique perstare ad horam usque nonam solebant precibus rerumque divinarum contemplationi operam dantes: unde jejuniis stationum nomen postea adhaesit. Nunquam autem a statione christianus populus recedebat nisi accepto corpore Domini, cujus communicatione peracta absolvebantur preces et piis conventibus finis imponebatur. At a sacra synaxi abstinebant aliqui, quod sibi viderentur accepto corpore Domini jejunium frangere, in quo custodiendo certe antiquis maxima fuit cura atque religio. Jam vero his Tertullianus suadet, ut quidem corpus Domini recipiant, sed pro more tunc vigente reservent domumque secum ferant ac soluto jejunio sumant, quo *utrunque salvum sit et participatio sacrificii et executio officii* i. e. jejunii. Cf. Murat. in h. l.

obligat? Nonne sollemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii. Si statio de militari exemplo nomen accipit, (nam et militia Dei sumus), utique nulla laetitia sive tristitia obveniens castris, stationes militum rescindit. Nam laetitia libentius, tristitia sollicitius administrabit disciplinam.

CAPUT XX.

De habitu feminarum.

De habitu vero duntaxat feminarum varietas observationis efficit post sanctissimum apostolum nos vel maxime nullius loci homines impudenter retractare [1]), nisi quod non impudenter, si secundum apostolum retractemus. De modestia quidem cultus et ornatus aperta praescriptio est etiam Petri, cohiben-

---

[1]) *Impudenter*. i. e. impudentia videbitur de habitu feminarum iterum agere, postquam Paulus Apostolus aperte egit in 1 ad Tim. 2, 9. Se tamen impudentem non existimat, cum post Apostolum quidem, sed secundum Apostolum h. e. secundum Apostoli mentem in eodem argumento versetur. (Murat.)

tis eodem ore, quia eodem et spiritu, quo Paulus, et vestium gloriam et auri superbiam et crinium lenonem operositatem.

CAPUT XXI.

De velamine virginum.

Sed quid promiscue observetur per ecclesias quasi incertum, id retractandum est, velarine debeant virgines, an non. Qui enim virginibus indulgent capitis immunitatem [1]), hoc niti videntur, quod apostolus non virgines nominatim, sed mulieres designaverit velandas esse; nec sexum, ut diceret feminas, sed gradum sexus dicendo mulieres (1 Cor. 11, 5). Nam si sexum nominasset feminas dicendo, absolute definisset de omni muliere. Aut [2]) quum unum gradum sexus nominat, alium tacendo secernit. Potuit enim, inquiunt, aut et virgines nominare specialiter, aut compendio generaliter feminas.

---

[1]) *Immunitatem* i. e. a velamine, quo velandum praecipit Paulus Apostolus 1 Cor. 11, 5 s. mulieris caput.

[2]) Forte legendum: *at*.

CAPUT XXII.

Virgines quoque obligari praecepto apostolico de velando capite.

Qui ita concedunt, recogitare debent de statu vocabuli ipsius. Quid est mulier a primis quidem literis sanctorum commentariorum? Nam inveniunt sexus esse nomen, non gradum sexus. Si quidem Evam nondum virum expertam Deus mulierem et feminam cognominavit (Gen. 2, 23): feminam, qua sexus generaliter, mulierem, qua gradus sexus specialiter. Itaque jam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo fuit, commune id vocabulum et virgini factum est. Nec mirum, si apostolus eodem utique spiritu actus, quocum omnis scriptura divina, tum et illa Genesis digesta est, eadem voce usus est mulierem ponendo, quae exemplo Evae innuptae et virgini competat. Cetera denique non sonant, nam et hoc ipso, quod virgines non nominavit, sicut alio in loco, ubi de nubendo docet, satis praedicat de omni muliere et de toto sexu dictum, nec distinctum esse inter virginem, omnino non nominat. Qui enim alibi distinguere meminit, ubi scilicet differentia postulat (distinguit autem utramque

speciem suis vocabulis designans), ubi non distinguit, dum utramque non nominat, nullam vult differentiam intelligi. Quid? quod graeco sermone, quo literas apostolus fecit, usui est mulieres vocare tam feminas, id est *γυναῖκας*, quam *θηλείας*. Igitur si pro sexus nomine vocabulum istud frequentatur, quod est interpretatione pro eo, quod est femina, sexum nominavit, dicens *γυναῖκα*. In sexu autem et virgo contingitur. Sed et manifesta pronuntiatio est: *Omnis*, inquit, *mulier adorans, et prophetans intecto capite dedecorat caput suum* (1 Cor. 11, 5). Quid est omnis mulier, nisi omnis aetatis, omnis ordinis, omnis conditionis? Nihil mulieris excipit dicendo omnis, sicut nec vir nec velandi; proinde enim omnis vir, inquit. Sicut ergo in masculino sexu sub viri nomine etiam investis[1]) velari vetatur, ita et in feminino sub nomine mulieris etiam virgo velari jubetur. Aequaliter in utroque sexu minor aetas majoris sequatur disciplinam; aut velentur et virgines masculi, si non velantur et virgines feminae, quia nec isti nominatim tenentur. Aliud sit vir et investis, si aliud est mulier et virgo. Nempe propter angelos ait velari

[1]) Investis i. e. virgo masculus, ut infra dicit.

oportere, quod angeli propter filias hominum desciverunt a Deo [1]). Quis ergo contendat, solas mulieres, id est, nuptas jam et virginitati defunctas concupiscentiae [2]), nisi si non licet et virgines specie praestare et amatores invenire? Imo videmus, quod non virgines solas concupierint, quum dicat scriptura *filias hominum*, quia potuit uxores hominum nominasse, vel feminas indifferenter. Etiam quod ait: *Et acceperunt sibi in uxores* (Gen. 6, 2), eo facit, quod accipiuntur in uxores, quae vacant scilicet. De non vacantibus autem aliter enuntiasset. Itaque vacant tam viduitate quam et virginitate. Adeo sexum nominando generaliter filias et species in genere commiscuit. Item quum dicit, na-

[1]) Tertullianus cum aliis Patribus propter versionem Alexandrinam, quae Gen. 6, 2 non habet ut interpres vulgatus: *videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae etc.* sed: videntes *angeli Dei* etc. in opinione erronea fuit, angelos apostatas peccasse impuro cum filiabus hominum commercio.

[2]) Merito suspicatur Muratori verbum aliquod hic desiderari, cujusmodi esset *ignes excitare* aut quid simile, ut sit sensus: Num nuptae tantum ac virginitate carentes angelorum hominumque concupiscentiam accendere possunt? neque virginibus licet forma corporis excellere, sibique amatores invenire?

turam ipsam docere, feminas velandas esse, quae capillum pro tegumento et ornamento mulieribus assignarit: nonne idem tegumentum et idem honor capitis virginibus quoque adscriptus est? *Si mulieri turpe est radi* (1 Cor. 11, 6) et virgini perinde. In quibus ergo una conditio capitis deputatur, una et disciplina capitis exigitur, etiam ad eas virgines, quas pueritia defendit; a primo enim femina nominata est. Sic denique et Israël observat. Sed si non observaret, nostra lex ampliata atque suppleta defenderet sibi adjectionem. Virginibus quoque injiciens velamentum excusetur. Nunc aetas, quae sexum suum ignorat, simplicitatis privilegium[1]) teneat. Nam et Eva et Adam, ubi eis contigit sapere, texerunt statim, quod agnoverant (Gen. 3, 7). Certe in quibus pueritia mutavit, sicut naturae ita et disciplinae debet aetas esse munifica. Nam et membris et officiis mulieribus resignantur. Nulla virgo est, ex quo potest nubere, quoniam aetas

---

[1]) Puellis quae nondum rationis usum attigerant, intecto capite procedere licuit, quod *simplicitatis privilegium* Tertullianus appellat. Verum in iis quae ad adolescentiam creverant, cum natura mutaretur, mutari quoque disciplinam decebat. cf. Murat.

jam in ea nupsit suo viro, id est tempori. Sed aliqua se Deo vovit. Jam et crinem exinde transfigurat [1]) et omnem habitum ad mulieres convertit. Totum ergo asseveret, et totum virginis praestet; quod propter Deum abscondit, plane obumbret. Interest nostra, quod Dei gratia exerceat, solius Dei conscientiae commendare, ne quod a Deo speramus, ab homine compensemus. Quid denudas ante Deum, quod ante homines tegis? Verecundior eris in publico, quam in ecclesia? *Si Dei gratia est et accepisti, quid gloriaris*, inquit, *quasi non acceperis* (1 Cor. 4, 7)? Quid alias ostentatione tui judicas? An alias gloria tua ad bonum invitas? Atqui et ipsa periclitaris amittere, si gloriaris, et alias ad eadem pericula cogis. Facile eligitur quod affectione gloriae assu-

---

[1]) Antiquitus usitatum fuit ut crine soluto ac libero virgines incederent. Simul autem ac conjugio se obligabant, comae illis coactae et compositae erant, ut jam in matronarum gravitatem transirent. Quae igitur divino sponso nubebant, par erat ut crine composito, compresso ac transfigurato proderent se Deo nuptas, *omnemque habitum ad mulieres convertendo*, hoc est matronalibus se vestibus induendo, matronis sive mulieribus nuptis accenserentur. (Murat.).

mitur[1]). Velare virgo, si virgo es; debes enim erubescere. Si virgo es, plures oculos pati noli. Nemo miretur in tuam faciem; nemo mendacium tuum sentiat. Bene mentiris nuptam, si caput veles. Imo mentiri non videris; nupsisti enim Christo, illi carnem tuam tradidisti. Age pro mariti tui disciplina. Si nuptas alienas velari jubet, suas utique multo magis. Sed non putet institutione unusquisque[2]) antecessoris com-

---

[1]) Sacratae Christo virgines non secus ac matronae velato capite in publico procedebant, in ecclesia vero nequaquam. At ostentationis culpa immunes non credit has virgines Tertullianus, quae velut gloriabundae, se a divina gratia ad continentiae votum electas, in reliquarum virginum conspectu jactare propriam virtutem videbantur. Hinc supra eas hortatur, ut se potius ostendant Christo omnino nuptas totam sacrae virginis modestiam servando pleneque obumbrando virgineum caput, quod propter Deum absconderunt. Cum vero id a se fieri quaedam responderent ut exemplo suo alias ad sacrum virginitatis votum incitarent, ne hoc quidem ambitionis periculo carere Tertullianus ait. cf. Murat.

[2]) Latere mendum, inquit Muratori, in his verbis sentio, sed reparare non audeo. Fortasse legendum *uniuscujusque*. Sensus autem est: non esse virginum, quae antecesserunt, consuetudinem pro ratione adducendam.

movendam. Multi [1]) alienae consuetudini prudentiam suam et constantiam ejus addicunt, ne compellantur velari. Certe voluntarias[2]) prohiberi non oportet, quae se etiam virgines negare non possunt, contentae abuti in fama suae conscientiae apud Deum securitate. De illis tamen, quae sponsis dicantur, constanter super meum modulum pronuntiare contestarique possum, velandas ex ea die esse, qua ad primum viri corpus osculo et dextera expaverint. Omnia enim in his praenupserunt, et aetas per maturitatem et caro per aetatem et spiritus per conscientiam et pudor per osculi experimentum, et spes per exspectationem et mens per voluntatem. Satisque nobis exemplo Rebecca est, quae, sponso demonstrato, tantum notitia ejus nubendo velata est.

---

[1]) Et hic verba corrupta esse existimat Muratori, qui legere mavult: *multae.*

[2]) *Certe voluntarias.* Ita ego interpretarer, scribit Muratori: Velari feminas nuptiis seculi aut Christi addictas, omnino necessarium est. At quae virginitatem voluntariam colunt, donec maritum sibi comparent, his prorsus interdicenda non est capitis nuditas, sed monendae tantum, ut meliora disciplinae consilia amplectantur, quamvis se virgines interdum mentiantur. Mendosum codicem, subdit idem Muratori, explicari per solas conjecturas cogimur.

CAPUT XXIII.

De ritu flectendi genua.

De genu quoque ponendo varietatem observationis patitur oratio per pauculos quosdam, qui sabbato abstinent genibus. Quae dissensio quum maxime apud ecclesias caussam dicat[1]), Dominus dabit gratiam suam, ut aut cedant, aut sine aliorum scandalo sententia sua utantur. Nos vero, sicut accepimus, solo die dominico resurrectionis non ab isto tantum, sed omni anxietatis habitu et officia[2]) cavere debemus, differentes etiam negotia, ne quem diabolo locum demus. Tantumdem et spatio Pentecostes, quae eadem exultationis sollemnitatem dispungimur[3]). Ceterum omni die quis dubitet prosternere se Deo vel prima saltem oratione, qua lucem

---

[1]) *Quae dissensio.... caussam dicat* i. e. de qua observatione dissensio seu controversia est inter diversas ecclesias.

[2]) Muratori suspicatur post illa *anxietatis habitu* excidisse verbum *abstinere;* Leop. vero legit: *omni anxietatis habitu et officio cavere debemus. Anxietatis habitus* est ritus, qui moestitiam et poenitentiam spirat.

[3]) Legendum forte est cum Muratori: *quae eadem exultationis solemnitas est; dispungimus* i. e. praestamus, observamus.

ingredimur? Jejuniis autem et stationibus nulla oratio sine genu et reliquo humilitatis more celebranda est. Non enim oramus tantum, sed et deprecamur, et satisfacimus Deo Domino nostro. De temporibus orationis nihil omnino praescriptum est, nisi plane omni in tempore et loco orare.

CAPUT XXIV.

De orationis loco.

Sed quomodo *omni loco* (1 Tim. 2, 8), quum prohibeamur in publico? Omni, inquit, loco, quem opportunitas aut etiam necessitas importaret. Non enim contra praeceptum reputatur ab apostolis factum, qui in carcere audientibus custodiis orabant et canebant Deo, apud Paulum, qui in navi coram omnibus eucharistiam fecit.

CAPUT XXV.

De tempore quo orandum est.

De tempore vero non erit otiosa extrinsecus observatio etiam horarum quarundam, istarum dico communium, quae diei interspatia signant, tertia, sexta, nona, quas sollemniores in scripturis invenire est. Primus Spiritus sanctus congregatis discipulis hora

tertia infusus est (Act. 2, 15): Petrus, qua die visionem communitatis omnis in illo vasculo expertus est, sexta hora ascenderat orandi gratia in superiora (ib. 10, 9). Idem cum Joanne ad nonam in templum adibat, ubi paralyticum sanitati reformavit suae (ib. 3, 1). Etsi simpliciter se habeant sine ullius observationis praecepto, bonum tamen sit aliquam constituere praesumptionem, qua et orandi admonitionem constringat et quasi lege ad tale munus extorqueat a negotiis interdum, ut quod Danieli quoque legimus observatum utique ex Israëlis disciplina (Dan. 6, 10), ne minus ter die saltem adoremus, debitores Patris et Filii et Spiritus sancti; exceptis utique legitimis orationibus, quae sine ulla admonitione debentur ingressu lucis et noctis. Sed et cibum non prius sumere et lavacrum non prius adire, quam interposita oratione, fideles decet. Priora enim habenda sunt spiritus refrigeria et pabula, quam carnis, et priora coelestia, quam terrena.

CAPUT XXVI.

De modo quo fratres excipi debent.

Fratrem domum tuam introgressum ne sine oratione dimiseris. Vidisti, inquit, fra-

trem, vidisti Dominum tuum; maxime advenam, ne angelus forte sit. Sed nec ipse a fratribus exemtis[1]) priora fecerit refrigeria terrena coelestibus. Statim enim judicabitur fides tua. Aut quomodo secundum praeceptum pax huic domui dices (Luc. 10, 5), nisi et eis, qui in domo sunt, pacem mutuam reddas?

CAPUT XXVII.

Psalmi pie orationi adduntur.

Diligentiores in orando subjungere in orationibus alleluja solent, et hoc genus psalmos, quorum clausulis respondeant, qui simul sunt. Et est optimum utique institutum omne, quod proponendo et honorando Deo competit, saturatam orationem[2]) velut optimam hostiam admovere.

---

[1]) Verba satis obscura. Forte legendum: *Sed nec ipse a fratribus exceptus priora feceris refrigeria terrena coelestibus* etc. ut sensus sit, et si tu ab aliis hospes exciperis primum pacem adprecare et redde, et ut coelestia praecedant refrigerium corporis, et ut discipulus Christi agnoscaris.

[2]) *Saturatam orationem* i. e. orationem psalmis auctam.

CAPUT XXVIII.

Qualis esse debeat oratio nostra.

Haec est enim hostia spiritalis, quae pristina sacrificia delevit. *Quo mihi*, inquit, *multitudinem sacrificiorum vestrorum? Plenus sum holocaustomatum arietum; et adipem agnorum et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Quis enim requisivit ista de manibus vestris* (Is. 1, 11)? Quae ergo quaesierit Deus, evangelium docet. *Veniet hora*, inquit, *quum veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Deus enim spiritus est, et adoratores itaque tales requirit* (Joan. 4, 23). Nos sumus veri adoratores et veri sacerdotes, qui spiritu orantes spiritu sacrificamus orationem Dei propriam et acceptabilem, quam scilicet requisivit, quam sibi prospexit. Hanc de toto corde devotam, fide pastam, veritate curatam, innocentia integram, castitate mundam, agape coronatam [1]) cum pompa operum bonorum

[1]) *Agape coronatam.* Etsi agaparum nomine convivia illa fere semper significentur, quae a primis Christianis in sacro conventu celebrari solebant in pauperum solatium, in mutuae dilectionis communionem, interdum tamen ipsam eucharistiam atque incruentum sacrificium ea voce significarunt

inter psalmos et hymnos deducere ad Dei altare debemus, omnia nobis a Deo impetraturam.

CAPUT XXIX.

De vi et efficacia orationis christianae.

Quid enim orationi de spiritu et veritate venienti negavit Deus, qui eam exigit? Legimus et audimus et credimus, quanta documenta efficaciae ejus. Vetus quidem oratio et ab ignibus et a bestiis et ab inedia liberabat, et tamen non a Christo acceperat formam. Ceterum quanto amplius oratur oratio Christianorum! Non roris angelum in mediis ignibus sistit, nec ora leonibus obstruit, nec esurientibus rusticorum prandium transfert, nullum sensum passionis delegata gratia avertit; sed patientes et sentientes et dolentes sufferentia instruit, virtute ampliat gratiam, ut sciat fides, quid a Domino consequatur, intelligens, quid pro Dei nomine patiatur. Sed et retro oratio plagas irrogabat, fundebat hostium exercitus, imbrium utilia

---

Patres. Neque vero ab agapis olim disjungebatur Dominici corporis et sanguinis ministratio. (Muratori.) Hic apte designat eucharistiam, propter ea quae Tertullianus disseruit c. 19.

prohibebat. Nunc vero oratio justitiae omnem iram Dei avertit, pro inimicis excubat, pro persequentibus supplicat. Mirum si aquas coelestes extorquere novit, quae potuit et ignes impetrare? Sola est oratio, quae Deum vincit. Sed Christus eam nihil mali novit operari. Omnem illi virtutem de bono contulit. Itaque nihil novit, nisi defunctorum animas de ipso mortis itinere vocare, debiles reformare, aegros remediare, daemoniacos expiare, claustra carceris aperire, vincula innocentium solvere. Eadem diluit delicta, tentationes repellit, persequutiones extinguit, pusillanimos consolatur, magnanimos oblectat, peregrinantes deducit, fluctus mitigat, latrones obstupefacit, alit pauperes, regit divites, lapsos erigit, cadentes suspendit, stantes continet. Oratio murus est fidei, arma et tela nostra adversus hominem, qui nos undique observat. Itaque nunquam inermes incedamus. Die stationis, nocte vigiliae meminerimus. Sub armis orationis signum nostri imperatoris custodiamus, tubam angeli exspectemus orantes. Orant etiam angeli omnes. Orat omnis creatura. Orant pecudes et ferae et genua declinant, et egredientes de stabulis ac speluncis ad coelum non otiosi ore suspiciunt, vibrantes spiritu suo

movere[1]). Sed et aves nunc exsurgentes eriguntur ad coelum, et alarum crucem pro manibus extendunt, et dicunt aliquid, quod oratio videatur. Quid ergo amplius de officio orationis? Etiam ipse Dominus oravit, cui sit honor et virtus in secula seculorum.

---

[1]) *Vibrantes.* Si quidem ita scripserit Tertullianus, hoc verbum explicarem hac ratione: conantes spiritu suo ora ad laudandum Deum atque orandum movere. (Muratori.)

S. CYPRIANI

LIBER DE ORATIONE DOMINICA [1]).

I. Evangelicorum praeceptorum praestantia.

Evangelica praecepta, fratres dilectissimi, nihil aliud sunt quam magisteria divina,

---

[1]) Tanti fecit S. Hilarius hoc opusculum, ut in suo commentario in Evangelium S. Matthaei (c. 5 n. 1) nos deleget ad Cyprianum hisce verbis: „de orationis autem sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus, vir sanctae memoriae, liberavit.“ Ad illud pariter Augustinus passim in controversia contra Pelagianos provocat. Sic ex. gr. scribit (de lib. arb. c. 13): „Commoneo autem caritatem vestram, et multum exhortor, ut beati Cypriani librum, quem scripsit *de oratione dominica* diligenter legatis, et quantum vos Dominus adjuverit, intelligatis memoriaeque mandetis“ etc. Et iterum (de dono perseverantiae c. 2): „Legite aliquanto intentius ejus (orationis dominicae) expositionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cujus est titulus: *de Oratione Dominica;* et videte, ante quot annos contra ea, quae futura erant Pelagianorum venena, quale sit

fundamenta aedificandae spei, firmamenta corroborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis: quae dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad coelestia regna perducunt. Multa et per prophetas servos suos dici Deus voluit et audiri; sed quanto majora quae Filius loquitur, quae Dei sermo, qui in prophetis fuit, propria voce testatur, non jam mandans ut paretur venienti via, sed ipse veniens, et viam nobis aperiens et ostendens; ut qui in tenebris mortis errantes improvidi et caeci prius fuimus, luce gratiae luminati iter vitae duce et rectore Domino teneremus.

II. Qui fecit vivere docuit et orare.

Qui inter caetera salutaria sua monita et praecepta divina, quibus populo suo consulit ad salutem, etiam orandi ipse formam

---

antidotum praeparatum.“ Percurrens deinde (c. 8 ss.) singulas orationis dominicae petitiones ostendit, quomodo Cyprianus singularum fere expositione Pelagianos praedamnaverit. Nam ut animadvertit (c. 7 n. 13): „Si alia documenta non essent, haec dominica oratio nobis ad causam gratiae, quam defendimus, sola sufficeret, quia nihil nobis relinquit, in quo tamquam in nostro gloriemur.“

dedit, ipse quid precaremur monuit et instruxit. Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate ea scilicet qua et caetera dare et conferre dignatus est, ut dum prece et oratione quam Filius docuit apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Jam praedixerat horam venire quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu et veritate, et implevit quod ante promisit; ut qui spiritum et veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque ejus vere et spiritualiter adoremus. Quae enim potest esse magis spiritalis oratio, quam quae a Christo nobis data est, a quo nobis et Spiritus sanctus missus est? Quae vera magis apud Patrem precatio, quam quae a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed et culpa, quando ipse posuerit et dixerit: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (Marc. 7, 8).

III. Oratio dominica quam efficax sit apud Patrem.

Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit. Amica et familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus

ascendere Christi oratione. Agnoscat Pater Filii sui verba cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce. Et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat, quia quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis, quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?

IV. Qua reverentia et modestia Deus orandus sit.

Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita contra congruit verecundo modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secreto orare nos praecepit, in abditis et semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei; ut sciamus Deum ubique esse praesentem, audire omnes et videre, et majestatis suae plenitudine in abdita quoque et occulta pene-

trare, sicut scriptum est: *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne coelum et terram ego impleo?* (Hier. 23, 23.) Et iterum: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos et malos* (Prov. 15, 3). Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino et dicente: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (Luc. 15, 22.)? Et alio loco: *Et scient omnes ecclesiae, quia ego sum scrutator renis et cordis* (Apoc. 2, 23).

V. Exemplum Annae.

Quod Anna in primo regnorum libro Ecclesiae typum portans custodit et servat; quae Dominum non clamosa petitione, sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide. Loquebatur, non voce,

sed corde, quia sic Deum sciebat audire; et impetravit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulavit. Declarat Scriptura divina quae dicit: *Loquebatur in corde suo, et labia ejus movebantur, et vox ejus non audiebatur, et exaudivit eam Deus* (1. Reg. 1, 13). Item legimus in psalmis: *Dicite in cordibus et in stratis vestris, et transpungimini* (Psal. 4, 5). Per Hieremiam quoque haec eadem Spiritus sanctus suggerit et docet dicens: *In sensu autem tibi debet adorari Deus* (Baruch. 6, 5).

VI. Humiliter orandum est.

Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum pharisaeo publicanus oraverit, non allevatis in coelum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, et peccata intus inclusa contestans, divinae misericordiae implorabat auxilium. Et cum sibi pharisaeus placeret, sanctificari hic magis meruit qui sic rogavit, qui spem salutis non in fiducia innocentiae suae posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter oravit, et exaudivit orantem qui humilibus ignoscit. Quae Dominus in evangelio suo ponit et dicit: *Homines duo ascen-*

derunt in templum orare, unus pharisaeus et unus publicanus. Pharisaeus cum stetisset, talia apud se precabatur: Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut caeteri homines, injusti, raptores, adulteri, quomodo et publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quaecumque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, et neque oculos volebat ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam magis quam ille pharisaeus. Quia omnis qui se extollit humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (Luc. 18, 10 ss.).

VII. Quid sit orandum.

Quae nos, fratres dilectissimi, de divina lectione discentes, postquam cognovimus qualiter ad orationem accedere debeamus, cognoscamus docente Domino et quid oremus. *Sic, inquit, orate: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et remitte nobis debita nostra sicut et nos remittimus debitoribus nostris, et ne nos patiaris in-*

duci in tentationem, sed libera nos a malo. Amen (Matth. 6, 9 ss.).

VIII. Publica sit nobis et communis oratio.

Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister singillatim noluit et privatim precem fieri, ut quis cum precatur, non pro se tantum precetur. Non enim dicimus: *Pater meus qui es in coelis, nec panem meum da mihi hodie;* nec dimitti sibi tantum unusquisque debitum postulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis et communis oratio, et quando oramus, non pro uno sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus. Deus pacis et concordiae magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit. Hanc orationis legem servaverunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, et spiritus consensione concordes. Quod declarat scripturae divinae fides, et dum docet quomodo oraverint tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus, ut tales esse possimus. *Tunc illi tres*, inquit, *quasi ex uno ore*

hymnum canebant et benedicebant Dominum (Dan. 3, 51). Loquebantur quasi ex uno ore, et nondum illos Christus docuerat orare. Et idcirco orantibus fuit impetrabilis et efficax sermo, quia promerebatur Dominum pacifica et simplex et spiritalis oratio. Sic et apostolos cum discipulis post ascensum Domini invenimus orasse. *Erant*, inquit, *perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria, quae fuerat mater Jesu, et fratribus ejus* (Act. 1, 14). Perseverabant in oratione unanimes, orationis suae et instantiam simul et concordiam declarantes: quia Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo, non admittit in divinam et aeternam domum nisi eos, apud quos est unanimis oratio.

IX. Pater dicimus, quia filii esse coepimus.

Qualia autem sunt, fratres dilectissimi, orationis dominicae sacramenta, quam multa, quam magna, breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa, ut nihil omnino praetermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris coelestis doctrinae compendio comprehendatur. *Sic*,

ait, *orate: Pater noster qui es in coelis*[1]). Homo novus, renatus et Deo suo per gratiam ejus restitutus *Pater* primo in loco dicit, quia filius esse jam coepit. *In sua*, inquit,

---

[1]) S. Ambrosius vel quicunque est auctor operis *de Sacramentis* brevem quoque orationis dominicae expositionem conscripsit, quae cum hac triplici, quam in hoc volumine exhibemus, consentit. Speciminis gratia hic tantum verba, quibus illius orationis exordium commentatur, adducemus. Recitata oratione dominica sic prosequitur (L. 5 c. 4 n. 18 s.): „Vides quam brevis oratio et omnium plena virtutum: primus sermo quantae sit gratiae? O homo! faciem tuam non audebas ad coelum attollere, oculos tuos in terram dirigebas et subito accepisti gratiam Christi, omnia peccata dimissa sunt. Ex malo servo factus es bonus filius; ideo praesume, non de operatione tua, sed de Christi gratia: gratia enim salvati estis (Eph. 2, 5) Apostolus ait. Non ergo hic arrogantia est, sed fides: praedicare quod acceperis non est superbia sed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit: ad Patrem qui te per Filium redemit, et dic: *Pater noster*. Bona praesumptio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius: sed noli tibi specialiter aliquid vindicare. Solius Christi specialis est Pater, nobis omnibus in commune est Pater, quia illum solum genuit, nos creavit. Dic ergo et tu per gratiam: *Pater noster*, ut filius esse merearis. Ecclesiae contuitu et consideratione te ipse commenda etc.“ Qua occasione hoc addere liceat, inter hymnos veteres, qui habentur in append. ad opera S. Ambr. (Migne Patrol. 17, 1171

propria venit, et sui eum non receperunt, quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei fierent his, qui credunt in nomine ejus (Joa. 1, 11). Qui ergo credidit in nomine ejus, et factus est Dei filius, hinc debet incipere ut et gratias agat et profiteatur se Dei filium, dum nominat patrem sibi esse in coelis Deum, contestetur quoque inter prima statim nativitatis suae verba renuntiasse se terreno et carnali patri, et patrem solum nosse se et habere coepisse

---

ss.) reperiri quoque orationem dominicam ita ad carminis leges revocatam (H. 39. p. 1195):

Pater, qui coelos contines,
Cantemus nunc nomen tuum,
Adveniat regnum tuum
Fiatque voluntas tua.

Haec, inquam, voluntas tua
Nobis agenda traditur,
Simus fideles spiritu
Casto manentes corpore.

Panem nostrum quotidie
De te edendum tribue,
Remitte nobis debita
Ut nos nostris remittimus.

Tentatione subdola
Induci nos ne siveris,
Sed puro corde supplices
Tu nos a malo libera.

qui sit in coelis, sicut scriptum est: *Qui dicunt patri et matri, non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt praecepta tua, et testamentum tuum servaverunt* (Deut. 33, 9). Item Dominus in evangelio suo praecepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quod sit scilicet nobis unus pater qui est in coelis. Et discipulo qui mentionem defuncti patris fecerat respondit: *Sine mortui mortuos suos sepeliant* (Matth. 8. 22). Dixerat enim patrem suum mortuum, cum sit credentium pater vivus.

X. Deus Pater est eorum, qui credunt et per eum renati sunt.

Nec hoc solum, fratres dilectissimi, animadvertere et intelligere debemus, quod appellemus patrem qui sit in coelis, sed conjungimus et dicimus, *Pater noster*, id est eorum qui credunt, eorum, qui per eum sanctificati et gratiae spiritalis nativitate reparati, filii Dei esse coeperunt. Quae vox etiam judaeos perstringit et percutit, qui Christum sibi per prophetas annuntiatum et ad se prius missum non tantum infideliter spreverunt, sed et crudeliter necaverunt: qui jam non possunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat et redarguat dicens:

Vos de diabolo patre nati estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in illo (Joa. 8, 44). Et per Esaiam prophetam Deus clamat indignans: *Filios generavi et exaltavi, ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit. Vae gens peccatrix, populus plenus peccatis, semen nequam, filii scelesti. Dereliquistis Dominum, et in indignationem misistis illum sanctum Israel* (Isa. 1, 2 ss.). In quorum exprobrationem christiani, quando oramus, *Pater noster* dicimus, quia noster esse coepit, et judaeorum, qui eum reliquerunt, esse desiit. Nec peccator populus potest esse filius; sed quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen adscribitur, et eis aeternitas repromittitur, Domino ipso dicente: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum.*

XI. Si Deus est Pater, quasi filii conversari debemus.

Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus et bonitatis uber-

tas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum patrem vocemus, et ut est Christus Dei Filius, sic et nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster a Spiritu, ut qui coelestes et spiritales esse coepimus, non nisi spiritalia et coelestia cogitemus et agamus, quia et ipse Dominus Deus dixit: *Eos qui clarificant me clarificabo; et qui me spernit, spernetur* (1. Reg. 2, 30). Beatus quoque apostolus in epistola sua posuit: *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Clarificate et portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 6, 19).

XII. Ut sanctificatio in nobis permaneat oramus.

Post hoc dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus

ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum* (Levit. 20, 26), id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus perseveremus. Et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quae autem sit sanctificatio, quae nobis de Dei dignatione confertur, apostolus praedicat dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudulenti, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri* (1. Cor. 6, 9 ss.). Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri. Haec sanctificatio ut in nobis permaneat oramus. Et quia Dominus et judex noster sanato a se et vivificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac nocti-

bus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio quae de Dei gratia sumitur ipsius protectione servetur.

XIII. Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum.

Sequitur in oratione: *Adveniat regnum tuum.* Regnum etiam Dei repraesentari nobis petimus, sicuti et nomen ejus ut in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat, aut apud eum quando incipit quod et semper fuit et esse non desinit? Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi sanguine et passione quaesitum; ut qui in seculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut ipse pollicetur et dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (Matth. 25, 34). Potest vero, fratres dilectissimi, et ipse Christus esse regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repraesentetur optamus. Nam cum resurrectio ipse nostra sit, quia in ipso resurgimus, sic et regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum coeleste, quia est et terrestre regnum. Sed

qui renuntiavit jam seculo major est et honoribus ejus et regno. Et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena sed coelestia regna desiderat. Continua autem oratione et prece opus est, ne excidamus a regno coelesti, sicut judaei, quibus hoc prius promissum fuerat, exciderunt, Domino manifestante et probante: *Multi*, inquit, *venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum. Filii autem regni expellentur in tenebras exteriores. Illic erit ploratio et stridor dentium* (Matth. 8, 11). Ostendit quia ante filii regni judaei erant, quando et filii Dei esse perseverabant. Postquam cessavit circa illos nomen paternum, cessavit et regnum. Et ideo christiani, qui in oratione appellare patrem Deum coepimus, nos et ut regnum Dei nobis veniat oramus.

XIV. Oramus ut fiat in nobis voluntas Dei.

Addimus quoque et dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus

per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis opus est Dei voluntate, id est, ope ejus et protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est. Denique et Dominus infirmitatem hominis quem portabat ostendens ait: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (Matth. 26, 39). Et exemplum discipulis suis tribuens, ut non voluntatem suam sed Dei faciant, addidit dicens: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu.* Et alio loco dicit: *Non descendi de coelo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (Joa. 6, 32). Quod si Filius obaudivit ut faceret patris voluntatem, quanto magis servus obaudire debet ut faciat Domini voluntatem, sicut in epistola sua Joannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur et instruit dicens: *Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas patris in illo: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio seculi, quae non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi, et mundus transibit et concupiscentia ejus:*

qui autem fecerit voluntatem Dei manet in aeternum, quomodo et Deus manet in aeternum (1. Joa. 2, 15 ss.). Qui in aeternum manere volumus, Dei qui aeternus est voluntatem facere debemus.

XV. Voluntas autem Dei est, quam Christus et fecit et docuit.

Voluntas autem Dei est quam Christus et fecit et docuit. Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino praeponere, quia nec nobis quidquam ille praeposuit, caritati ejus inseparabiliter adhaerere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere, quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur, in quaestione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est cohaeredem Christi esse velle, hoc est praeceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.

XVI. Oramus ut voluntas Dei fiat in coelo et in terra i. e. in spiritu et corpore.

Fieri autem petimus voluntatem Dei in coelo et in terra, quod utrumque ad consummationem nostrae incolumitatis pertinet et salutis. Nam cum corpus e terra et spiritum possideamus e coelo, ipsi terra et coelum sumus; et in utroque, id est, et corpore et spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus[1]). Est enim

---

[1]) Ad haec S. Cypriani verba provocat *S. Augustinus* in disputatione cum Juliano pelagiano (Op. imperf. L. 6 n. 6) ita scribens: „Hoc muniebatur scuto *(in quo omnia tela nequissimi ignea extinguere* possumus secundum Apostolum Eph. 6, 16) quando vobis futuris jam occurrebat armatus, non quidem Numida, sed tamen Poenus ille Cyprianus, quo rursus nomine tua in nos insilit vana loquacitas; hoc, inquam, scuto armatus Poenus ille dicebat in libro de Oratione dominica, id nos orare, cum dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, ut inter duo ista, id est, carnem et spiritum, fiat Deo opitulante concordia. Ubi Christi miles egregius et a Manichaeis et a vobis conjecta ignita maligni jacula exstinguit: cui maligno militant omnes haeretici, et cujus castra tirocinio vestro putatis augenda. Nam spiritus et carnis quaerendo concordiam, contra Manichaeos docet, ambas quibus constamus bonas esse naturas, si discordiae malum divina miseratione sanetur: vobis autem resistit, quia carnis concupiscentiam dicitis bonam,

inter carnem et spiritum colluctatio, et discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non quae volumus ipsa faciamus, dum spiritus coelestia et divina quaerit, caro terrena et secularia concupiscit. Et ideo petimus impense inter duo ista ope et auxilio Dei concordiam fieri; ut dum et in spiritu et in carne voluntas Dei geritur, quae per eum renata est anima servetur. Quod aperte atque manifeste apostolus Paulus sua voce declarat: *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Haec enim invicem adversantur sibi, ut non quae vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt adulteria, fornicationes, immunditiae, spurcitiae, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, provocationes, simultates, dissensiones, haereses, invidiae, ebri-*

---

qua infestante existit ista discordia, quam poscit ille sanari; et tunc existit quando bene agimus, ut infestanti concupiscentiae carnis contra concupiscente spiritu repugnemus. Nam si consentimus, non optabilis sed culpabilis vel etiam damnabilis fit spiritui cum carne concordia. Contra vos est etiam, quia libero datis arbitrio, quod ille ut fiat in homine, a Deo intelligit esse poscendum.“

etates, commessationes, et his similia, quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas (Gal. 5, 17 ss.). Et idcirco quotidianis, imo continuis orationibus hoc precamur et in coelo et in terra voluntatem circa nos Dei fieri, quia haec est voluntas Dei ut terrena coelestibus cedant, spiritualia et divina praevaleant.

XVII. Alia ejusdem petitionis explicatio.

Potest et sic intelligi, fratres dilectissimi, ut quoniam mandat et monet Dominus, etiam inimicos diligere et pro iis quoque qui nos persequuntur orare, petamus et pro illis, qui adhuc terra sunt et necdum coelestes esse coeperunt, ut et circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando et redintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non jam terra appellentur, sed sal terrae, et Apostolus primum hominem vocet de terrae limo, secundum vero de coelo, merito et nos, qui esse debemus patri Deo similes, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, sic Christo monente oramus et petimus, ut precem pro

omnium salute faciamus; ut quomodo in coelo, id est, in nobis, per fidem nostram voluntas Dei facta est ut essemus e coelo, ita et in terra, hoc est in illis non credentibus[1]), fiat voluntas Dei, ut qui adhuc sunt prima nativitate terreni, incipiant esse coelestes ex aqua et Spiritu nati.

XVIII. Panem nostrum i. e. Christum dari nobis quotidie petimus, ut a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

Procedente oratione postulamus et dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod potest et spiritualiter et simpliciter intelligi, quia et uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam panis

---

[1]) Augustinus passim provocat Semipelagianos ad hanc S. Martyris explicationem, qua eorum duplicem errorem, *fidei initium et perseverantiam esse ex nobis*, praedamnavit. Sic ex. gr. scribit (de dono persev. c. 19 n. 49): „Quid autem amplius de hac re agere Cyprianus martyr gloriosissimus et *doctor lucidissimus* potuit, quam ubi nos in oratione dominica etiam pro inimicis fidei christianae orare oportere commonuit? ubi de initio fidei, quod etiam hoc donum Dei sit, quid sentiret, ostendit: et pro perseverantia usque in finem, quia et ipsam nonnisi Deus eis qui perseveraverint donat, Ecclesiam Christi quotidie orare monstravit.“

vitae Christus est; et panis hic omnium non est, sed noster est. Et quomodo dicimus *Pater noster*, quia intelligentium et credentium pater est, sic et panem nostrum vocamus, quia Christus eorum qui corpus ejus contingunt panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et monente: *Ego sum panis vitae qui de coelo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in aeternum. Panis autem quem ego dedero caro mea est pro seculi vita* (Joa. 6, 51 s.). Quando ergo dicit in aeternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt et eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente: *Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis* (Joa. 6, 54). Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo

manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

XIX. Diurnum debemus cibum petere, nec in longum petitionis desideria extendere.

Potest vero et sic intelligi, ut qui seculo renunciavimus, et divitias ejus et pompas fide gratiae spiritualis abjecimus, cibum nobis tantum petamus et victum, quando instruat Dominus et dicat: *Qui non renunciat omnibus quae sunt ejus, non potest meus discipulus esse* (Luc. 14, 33). Qui autem Christi coepit esse discipulus, secundum magistri sui vocem renuncians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, ipso iterum Domino praescribente et dicente: *Nolite in crastinum cogitare. Crastinus enim ipse cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua* (Matth. 6, 54). Merito ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur; quia et contrarium sibi fit et repugnans ut quaeramus in seculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire. Sic et beatus Apostolus monet formans et corroborans spei nostrae ac fidei firmitatem. *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum, verum nec auferre pos-*

sumus. Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulam et desideria multa et nocentia, quae mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis (1. Tim. 6, 7 ss.).

XX. Docet Christus non tantum contemnendas sed et periculosas esse divitias.

Docet non tantum contemnendas, sed et periculosas esse divitias, illic esse radicem malorum blandientium, caecitatem mentis humanae occulta deceptione fallentium. Unde et divitem stultum seculares copias cogitantem et se exuberantium fructuum largitate jactantem redarguit Deus, dicens: *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua. Quae ergo parasti cujus erunt* (Luc. 12, 20)? Laetabatur stultus in fructibus ipsa nocte moriturus; et cui vita jam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum et consummatum docet fieri qui, omnibus suis venditis atque in usum pauperum distributis, thesaurum sibi condat

in coelo. Eum dicit posse se sequi et gloriam dominicae passionis imitari, qui expeditus et succinctus nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Deum ante praemissas ipse quoque comitatur. Ad quod ut possit unusquisque nostrum parare se, sic discat orare, et de orationis lege qualis esse debeat noscere.

XXI. Habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.

Neque enim deesse quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit: *Non occidet Dominus fame animam justam* (Prov. 10, 3.). Et iterum (Psal. 36, 25): *Junior fui, et senui; et non vidi justum derelictum, neque semen ejus quaerens panem;* item Dominus promittat et dicat: *Nolite cogitare dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? Haec enim nationes quaerunt. Scit autem pater vester quia horum omnium indigetis. Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia apponentur vobis* (Matth. 6, 31 ss.). Quaerentibus regnum et justitiam Dei omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu jussu regis

incluso prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes et parcentes homo Dei pascitur. Sic alitur Helias in fuga; et in solitudine corvis ministrantibus et volucribus cibum sibi apportantibus, in persecutione nutritur. Atque, o humanae malitiae detestanda crudelitas, ferae parcunt, aves pascunt, et homines insidiantur et saeviunt.

XXII. Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ne quis sibi quasi innocens placeat.

Post haec et pro peccatis nostris deprecamur dicentes: *Et remitte nobis debita nostra sicut et nos remittimus debitoribus nostris.* Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, nec tantum praesenti et temporali vitae sed et aeternae consulatur; ad quam veniri potest, si peccata donentur: quae debita Dominus appellat, sicut in evangelio suo dicit: *Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti* (Matth. 18, 32). Quam necessario autem [1]), quam providenter et salutariter ad-

[1]) Operae pretium est, inquit *Augustinus* (de dono persever. c. 5 n. 8) occasione horum verborum, paulisper intueri, quomodo et in hac petitione jam tunc lingua Cypriani, tanquam telo in-

monemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientiae suae animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat et se extollendo plus pereat, instruitur et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique et Joannes in epistola sua monet dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Dominus qui nobis peccata dimittat* (1. Joa. 1, 8). In epistola sua utrumque complexus est, quod et rogare pro peccatis debeamus, et impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo

victissimo veritatis, longe postea futuri confodiebantur haeretici. Etiam hoc enim Pelagiani audent dicere (cf. infra adnot. ad S. Thomae exposit. orat. domin. n. 26) hominem justum in hac vita nullum habere omnino peccatum, et in talibus hominibus esse jam praesenti tempore Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi (Eph. 5, 27), quae una et sola sponsa sit Christi: tanquam sponsa ejus non sit, quae per universam terram quod ab ea didicit, dicit, *dimitte nobis debita nostra.* Sed attendite *quomodo istos gloriosissimus Cyprianus interimat.* Cum enim locum ipsum dominicae orationis exponeret, ait inter cetera: *Quam necessarie autem* etc.

et fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suae reservantem. Quia qui orare nos pro debitis et peccatis docuit, paternam misericordiam promisit et veniam secuturam.

XXIII. Lex secundum quam nobis peccata dimittuntur.

Adjunxit plane et addidit legem, certa nos conditione et sponsione constringens ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod et ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco et alio in loco dicit: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (Matth. 7, 2). Et qui servus post dimissum sibi a domino omne debitum conservo suo noluit ipse dimittere, in carcerem religatur. Quia indulgere conservo suo noluit, quod sibi a domino indultum fuerat amisit. Quae adhuc fortius Christus in praeceptis suis majore censurae suae vigore proponit. *Cum steteritis,* inquit, *ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et pater vester, qui in coelis est, remittat peccata vestra vobis. Si autem vos non remiseritis, neque pater vester, qui*

in coelis est, remittet vobis peccata vestra (Marc. 11, 25). Excusatio tibi nulla in die judicii superest, cum secundum tuam sententiam judiceris, et quod feceris hoc et ipse patiaris. Pacificos enim et concordes atque unanimes esse in domo sua Deus praecipit, et quales nos fecit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui filii Dei esse coepimus, in Dei pace maneamus, et quibus spiritus unus est, unus sit et animus et sensus. Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, et ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus et Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia et de unitate Patris et Filii et Spiritus sancti plebs adunata.

XXIV. Pacificorum tantum Deo accepta est oratio.

Neque enim in sacrificiis, quae Abel et Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus et justus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit et ceteros quando ad altare munus offerunt sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiae, cum concordiae

pace. Merito ille dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloria dominicam passionem, qui et justitiam Domini habuerat et pacem. Tales denique a Domino coronantur, tales in die judicii cum Domino judicabunt. Ceterum discordans et dissidens et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus Apostolus et scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternae poterit evadere, quia sicut scriptum est: *Qui fratrem suum odit, homicida est, nec ad regnum coelorum pervenit aut cum Deo vivit homicida* (1. Joa. 3, 15), non potest esse cum Christo, qui imitator Judae maluit esse quam Christi. Quale delictum est quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est quod martyrio non potest expiari?

XXV. Nihil contra nos adversarius potest nisi Deus ante permiserit.

Illud quoque necessarie admonet Dominus ut in oratione dicamus: *Et ne nos patiaris induci in tentationem.* Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit; ut omnis timor

noster et devotio atque observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Probat scriptura divina quae dicit: *Venit Nabuchodonosor rex Babyloniae in Hierusalem, et expugnabat eam, et dedit eam Dominus in manu ejus* (4. Reg. 24, 11 ss.). Datur autem potestas adversus nos malo secundum nostra peccata, sicut scriptum est: *Quis dedit in direptionem Jacob et Israel eis qui praedantur illum? Nonne Deus cui peccaverunt, et nolebant in viis ejus ambulare neque audire legem ejus, et superduxit super eos iram animationis suae* (Isa. 42, 24)? Et iterum Salomone peccante et a praeceptis atque a viis Domini recedente, positum est: *Et excitavit Dominus satanam ipsi Salomoni.*

XXVI. Potestas vero adversus nos ei datur vel ad poenam vel ad gloriam. Hac petitione admonemur simul imbecillitatis nostrae.

Potestas vero dupliciter adversus nos datur, vel ad poenam, cum delinquimus, vel ad gloriam, cum probamur; sicuti de Job factum videmus, manifestante Deo et dicente: *Ecce omnia quaecumque habet in ma-*

nus tuas do; sed ipsum cave ne tangas (Job. 1, 12). Et Dominus in evangelio suo loquitur tempore passionis: *Nullam haberes adversum me potestatem, nisi datum esset tibi desuper* (Joa. 19, 11). Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis sibi aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit: *Vigilate et orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (Marc. 14, 38); ut, dum praecedit humilis et summissa confessio, et datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate praestetur.

XXVII. Ultima petitio est adversus cuncta quae contra nos molitur inimicus noster.

Post ista omnia in consummatione orationis venit clausula universas petitiones et preces nostras collecta brevitate concludens. In novissimo enim ponimus, *sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta

quae contra nos in hoc mundo molitur inimicus; a quibus potest esse fida et firma tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem suam praestet. Quando autem dicimus, *libera nos a malo*, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus; qua impetrata, contra omnia quae diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est?

XXVIII. Omnem precem nostram salutari Deus sermone breviavit.

Quid mirum, fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit? Hoc jam per Esaiam prophetam fuerat ante praedictum, cum plenus Spiritu sancto de Dei majestate ac pietate loqueretur: *Verbum consummans*, inquit, *et brevians in justitia, quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terrae* (Isa. 10, 22). Nam cum Dei sermo Dominus noster Jesus Christus omnibus venerit, et colligens doctos pariter et indoctos omni sexui atque aetati praecepta salutis

ediderit, praeceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina coelesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium velociter disceret. Sic cum doceret quid sit vita aeterna, sacramentum vitae magna et divina brevitate complexus est, dicens: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum et verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (Joa. 17, 3). Item cum de Lege et Prophetis praecepta prima et majora decerperet: *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Et secundum simile est huic: Diliges proximum tibi tanquam te ipsum. In his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetae* (Marc. 12, 29 ss. Matth. 22, 40). Et iterum: *Quaecumque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis. Haec est enim Lex et Prophetae* (Matth. 7, 12).

XXIX. Non verbis tantum sed et factis Dominus orare nos docuit.

Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et

deprecans, et quid facere nos oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: *Ipse autem fuit secedens in solitudinem et adorans* (Luc. 5, 16). Et iterum: *Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei* (Luc. 6, 12). Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare?

XXX. Orabat autem non pro se sed pro nobis.

Orabat autem Dominus et rogabat non pro se, quid enim pro se innocens precaretur, sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat cum dicit ad Petrum: *Ecce satanas postulavit ut vos vexaret quomodo triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (Luc. 22, 31 s.). Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur, dicens: *Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (Joa. 17, 20). Magna Domini propter salu-

tem nostram benignitas pariter et pietas, ut non contentus quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius et rogaret. Rogantis autem desiderium videte quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater et Filius, sic et nos in ipsa unitate maneamus. Ut hinc quoque possit intelligi, quantum delinquat qui unitatem scindit et pacem, cum pro hoc et rogaverit Dominus, volens scilicet sic plebem suam salvam fieri et in pace vivere, cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire.

XXXI. Animo vigili et attento orandum est.

Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et secularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda;* ut dum respondet plebs, *habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit

enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quae autem segnitia est, alienari et rapi ineptis cogitationibus et profanis cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere: hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere: hoc est vigilare oculis et corde dormire, cum debeat Christianus et cum dormit oculis corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiae loquentis in cantico canticorum: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (Cant. 5, 2). Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet, dicens: *Instate orationi vigilantes in ea* (Coloss. 4, 2), docens scilicet et ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.

XXXII. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio.

Orantes autem non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur et in ignem mittatur, utique et sermo non habens fructum promereri Deum non potest, quia nulla est operatione foecundus. Et ideo scriptura divina instruit dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* (Tob. 12, 9). Nam qui in die judicii praemium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret, meruit audiri. Fuit enim faciens multas eleemosynas in plebem et semper orans Deum. Huic circa horam nonam oranti adstitit angelus testimonium reddens sui operis et dicens: *Corneli, orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt ad memoriam coram Deo* (Act. 10, 4).

XXXIII. Cito orationes ad Deum ascendunt, quas bona opera commendant.

Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic

et Raphael angelus Tobiae oranti semper et semper operanti testis fuit, dicens: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu et Sara, ego obtuli memoriam orationis vestrae in conspectu claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, sed abiisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te; et iterum me misit Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphael, unus ex septem angelis justis, qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei* (Tob. 12, 11 ss.). Per Esaiam quoque Dominus admonet et docet similia contestans: *Solve*, inquit, *omnem nodum injustitiae, resolve suffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quassatos in requiem, et omnem consignationem injustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti; et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et praeibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te, et dum adhuc loqueris dicet:*

Ecce adsum (Isa. 58, 6 ss.). Adesse se repromittit, et audire ac protegere se eos dicit, qui injustitiae nodos de corde solventes et eleemosynas circa domesticos Dei secundum ejus praecepta facientes, dum audiunt quod Deus praecipit fieri, ipsi quoque a Deo merentur audiri. Beatus apostolus Paulus in necessitate pressurae adjutus a fratribus opera bona quae fiunt, sacrificia Dei dixit esse. *Saturatus sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito ea quae a vobis missa sunt, odorem suavitatis, sacrificium acceptum et placitum Deo* (Philip. 4, 18). Nam quando quis miseretur pauperis, Deum foenerat; et qui dat minimis, Deo donat, spiritualiter Deo suavitatis odorem sacrificat.

XXXIV. Certae orationis horae antiquitus observatae fuere.

In orationibus vero celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes et in captivitate victores horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quae in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam et prima hora in tertiam veniens consummatum numerum trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens declarat alteram trinitatem. Et

quando a septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur. Quae horarum spatia jam pridem spiritualiter determinantes adoratores Dei, statutis et legitimis ad precem temporibus servabant. Et manifestata postmodum res est sacramenta olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam dominicae repromissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens signo pariter et voce Dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit.

XXXV. Orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt.

Sed nobis, fratres dilectissimi, praeter horas antiquitus observatas orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Quod olim Spiritus sanctus designabat in psalmis dicens: *Rex meus et Deus meus, quoniam*

ad te orabo Domine; mane exaudies vocem meam, mane assistam tibi, et contemplabor te (Psal. 5, 2). Et iterum per prophetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus et revertamur ad Dominum Deum nostrum* (Osee. 6, 1). Recedente item sole ac die cessante necessario rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus et dies est verus, sole ac die seculi recedente, quando oramus et petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum lucis aeternae gratiam praebiturum. Christum autem diem dictum declarat in psalmis Spiritus sanctus. *Lapis*, inquit, *quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factus est iste, et est admirabilis in oculis nostris. Iste est dies quem fecit Dominus, ambulemus et jucundemur in eo* (Psal. 117, 22). Item quod sol appellatus sit, Malachias propheta testatur dicens: *Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiae, et in alis ejus curatio est* (Malach. 4, 2). Quod si in scripturis sanctis sol verus et dies verus est Christus, hora nulla a Christianis excipitur, quo minus frequenter ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc est in sole et in die vero sumus, insista-

mus per totum diem precibus et oremus, et quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis et in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? Aut quando sol ei et dies non est, cui sol et dies Christus est?

XXXVI. Die noctuque orandum est.

Qui autem in Christo, hoc est in lumine, semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus. Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper et vigilans perseverabat in promerendo Deo, sicut in evangelio scriptum est. *Non recedebat*, inquit, *de templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die* (Luc. 2, 37). Viderint vel gentiles, qui necdum illuminati sunt, vel judaei, qui deserto lumine in tenebris remanserunt. Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meminimus et tenemus quid esse accepta gratia coeperimus, computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus semper in lumine, non impediamur a tenebris quas evasimus. Nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra et ignava dispendia. Per Dei indulgentiam re-

creati spiritualiter et renati imitemur quod futuri sumus. Habituri in regno sine interventu noctis solum diem, sic nocte quasi in lumine vigilemus. Oraturi semper et acturi gratias Deo, hic quoque orare et gratias agere non desinamus.

DIVI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

IN ORATIONEM DOMINICAM[1]).

Expositio.

I. Oratio dominica est oratio secura.

Inter alias orationes oratio dominica principalior invenitur. Habet enim quinque excellentias, quae in oratione requiruntur.

---

[1]) Petrus de Alva (apud Piccinardum de Approb. doctrinae D. Thomae q. 7 a. 2 n. 5) et Oudinus (Comment. de Script. Ecclesiae antiquis 3, 336) S. Thomae non esse hoc opusculum censent. Ille ejus auctorem Innocentium III. esse pronunciat, hic vero Henricum de Vrimaria Ordinis Augustiniani clarissimum virum. Sed Joan. Franc. Bern. Maria de Rubeis O. Praed. in admonitione praevia T. 8 op. D. Thomae ed. Venetae a. 1747 § 1, 2. eorum conjecturas refellit atque ex veterum testimoniis opusculum hoc D. Thomae adjudicat.

Debet enim esse oratio secura, recta, ordinata, devota, et humilis. Secura quidem, ut cum fiducia adeamus ad thronum gratiae ejus, ut dicitur (Heb. 4, 16). In fide etiam non deficiens; dicitur enim: *Postulet autem in fide, nihil haesitans* (Jac. 1, 6). Rationabiliter autem haec oratio est securissima: est enim ab advocato nostro formata, qui est sapientissimus petitor, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, ut dicitur (ad Coloss. 2, 3), de quo dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum* (I Joan. 2, 1). Unde dicit Cyprianus [1]): „Cum Christum habeamus advocatum apud Patrem pro peccatis nostris, quando pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba proponamus.“ Ulterius securior apparet ex hoc, quod ipse qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare secundum illud: *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum* (Ps. 90, 15). Unde dicit Cyprianus [2]): „Amica, familiaris, et devota est oratio, Dominum de suo rogare.“ Unde ab hac oratione nunquam sine fructu receditur: nam per eam venialia dimittuntur, ut dicit Augustinus.

---

[1]) De orat. dominica, n. 3.
[2]) Ib.

II. Oratio dominica est oratio recta.

Debet enim esse oratio nostra recta, ut petat orans a Deo quae sibi conveniunt. Nam Damascenus dicit: *Oratio est petitio decentium a Deo.* Multoties enim non exauditur oratio, quia indecentia postulantur: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (Jac. 4, 3). Scire autem quid sit petendum, difficillimum est, cum difficillimum sit scire quid sit desiderandum. Ea enim quae licite petuntur in oratione, licite desiderantur: et ideo Apostolus dicit: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus* (ad Roman. 8, 26). Ipse autem Christus doctor est: nam ipsius est docere, quid nos orare oporteat. Nam discipuli dixerunt ei: *Domine, doce nos orare* (Luc. 11, 1). Ea ergo quae ipse orare docuit, rectissime postulantur: unde Augustinus: *Quaecumque autem verba dicamus, nihil aliud dicimus, quam quod in ista oratione dominica positum est, si recte et congruenter oramus.*

III. Oratio dominica est oratio ordinata.

Debet etiam esse oratio ordinata sicut desiderium, cum oratio sit desiderii interpres. Est autem hic debitus ordo, ut spiri-

tualia carnalibus, coelestia terrenis desiderando et orando praeferamus, secundum illud: *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis* (Matth. 6, 33). Hoc Dominus in hac oratione servare docuit, in qua primo petuntur coelestia et postmodum terrena.

IV. Oratio dominica oratio est devota.

Debet etiam oratio esse devota, quia pinguedo devotionis facit sacrificium orationis esse Deo acceptum secundum illud: *In nomine tuo levabo manus meas: sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (Ps. 62, 5). Devotio autem plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur: unde Dominus superfluam orationis prolixitatem docuit vitare dicens: *Orantes autem nolite multum loqui* (Matth. 6, 7). Et Augustinus dicit ad Probam [1]): „Absit ab oratione multa locutio; sed non desit multa provocatio, si fervens perseveret intentio.“ Unde Dominus hanc orationem brevem instituit.

---

[1]) Epist. 130 al. 121 n. 20. Hac in epistola sat prolixa S. Augustinus Probam viduam docet, quomodo Deus sit orandus, et n. 21 paucis orationem quoque dominicam exponit. Fusius eam explanat L. 2 de sermone Domini in monte c. 4 ss.

Consurgit autem devotio ex caritate, quae est amor Dei et proximi, quorum utrumque in hac oratione ostenditur. Nam ad insinuandum divinum amorem vocamus eum *Patrem;* ad insinuandum autem amorem proximi communiter pro omnibus oramus dicentes: *Pater noster, etc. Et dimitte nobis debita nostra, etc.*, ad quod proximorum dilectio nos inducit.

V. Oratio dominica est oratio humilis.

Debet etiam oratio esse humilis, secundum illud: *Respexit in orationem humilium* (Ps. 101, 18); et de pharisaeo et publicano (Luc. 18, 10); et (Judith 9, 16): *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Quae quidem humilitas in hac oratione servatur. Nam vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus praesumit, sed totum ex divina virtute impetrandum exspectat.

VI. Orationis effectus triplex.

Nota insuper, quod tria bona facit oratio. Primo enim est efficax et utile remedium contra mala. Liberat enim a peccatis commissis: *Tu remisisti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis sanctus* (Ps. 31,

6). Sic latro in cruce oravit, et remissionem obtinuit, quia audivit a Christo: *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. 23, 43). Sic publicanus oravit, et justificatus descendit in domum suam (Luc. 18, 14). Liberat etiam a timore peccatorum supervenientium, a tribulationibus et tristitiis. *Tristatur quis in vobis? oret aequo animo* (Jac. 5, 13). Liberat etiam a persecutionibus et inimicis. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam* (Ps. 108, 3). *Secundo* est efficax et utilis ad omnia desideria obtinenda. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis* (Marc. 11, 24); et si non exaudimur, hoc est quia non instanter petimus. *Oportet enim semper orare, et nunquam deficere* (Luc. 18, 1). Vel quia non petimus id quod magis expedit ad salutem. Augustinus: „Bonus Dominus, qui saepe non tribuit quod volumus, ut tribuat quod mallemus.“ Et hoc reperitur de Paulo, qui ter petiit a se removeri stimulum, et non est exauditus. *Tertio* est utilis, quia facit nos familiares Deo. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (Ps. 140, 2).

VII. Quomodo Deus pater noster sit.

Dicit ergo: *Pater*. Nota hic duo, quomodo scilicet pater sit, et quid debemus ei, quia pater est. Dicitur autem pater ratione specialis creationis, quia creavit nos ad imaginem et similitudinem suam, quam aliis creaturis inferioribus non impressit. *Ipse est pater tuus, qui fecit et creavit te* (Deut. 32, 6). Item, ratione gubernationis. Quamquam enim omnia gubernet, nos tamen gubernat ut dominos, alia ut servos. *Tua, pater, providentia cuncta gubernat* (Sap. 14, 3). *Et cum magna reverentia disponis nos* (Sap. 12, 18). Item ratione adoptionis, quia aliis creaturis dedit quasi munuscula, nobis autem haereditatem, et hoc quia filii: sed si filii et haeredes. *Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater* (Rom. 8, 15).

VIII. Quaenam sint officia nostra erga Deum Patrem.

Debemus autem nos ei tria [1]). Primo honorem. *Si ego pater, ubi est honor*

[1]) Recenset tamen S. Doctor quatuor, quae Deo debemus: honorem, imitationem, obedientiam et patientiam.

meus (Mal. 1, 6)? Qui consistit in tribus. In laudis datione quoad Deum: *Sacrificium laudis honorificabit me* (Ps. 49, 23), quae non solum debet esse in ore, sed etiam in corde. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Is. 29, 13). In corporis puritate quoad se ipsum: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1 ad Cor. 6, 20). In judicii aequitate quoad proximum. *Honor regis judicium diligit* (Ps. 98, 4). Secundo debemus ei imitationem, quia pater est: *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis* (Jer. 3, 29), quae perficitur in tribus. In dilectione: *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione* (Ephes. 5, 1); et hoc oportet esse in corde. In miseratione, dilectio enim debet esse cum miseratione: *Estote misericordes* (Luc. 6, 36); et hoc debet esse in opere. In perfectione, quia dilectio et miseratio debet esse perfecta: *Estote perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est* (Matth. 5, 48). Tertio debemus ei obedientiam. *Multo magis obtemperabimus patri spirituum* (Heb. 12, 9): et hoc propter tria. Primo propter dominium. Ipse enim est Dominus: *Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes*

(Exod. 24, 7). Secundo propter exemplum, quia verus Filius factus est Patri obediens usque ad mortem, ut dicitur Philip. 2, 8. Tertio propter commodum: *Ludam ante Dominum qui elegit me* (2 Reg. 6, 21). Quarto, debemus ei patientiam in castigationibus. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi* (Prov. 3, 11).

IX. Quid debeamus proximis.

Noster. Ex hoc autem ostenditur, quod duo debemus proximis. Primo amorem, quia fratres nostri sunt, nam omnes sunt filii Dei: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere* (1 Joan. 4, 20)? Item reverentiam, quia filii Dei sunt. *Nunquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum* (Mal. 2, 10)? *Honore invicem praevenientes* (Rom. 12, 10). Et hoc propter fructum, *quia ipse factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* (Heb. 5, 9).

X. Fiducia ad orandum optima est dispositio; ea nobis verbis *qui es in coelis* inspiratur.

Qui es in coelis. Inter cetera quae oranti sunt necessaria, fiducia plurimum valet. *Postulet autem in fide nihil haesitans* (Jacob. 1, 6). Unde Dominus nos orare docens ea praemittit, ex quibus in nobis fiducia generetur: scil. ex benignitate Patris. Unde *Pater noster* dicit, secundum illud: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester coelestis, de coelo dabit spiritum bonum petentibus se* (Luc. 11, 13)? Et ex magnitudine potestatis: unde dicit: *Qui es in coelis.* Unde *ad te levavavi oculos meos, qui habitas in coelis* (Ps. 122, 1). Potest autem hoc ad tria pertinere. *Primo* quidem ad orantis praeparationem, quia dicitur: *Ante orationem praepara animam tuam* (Eccl. 18, 23); ut intelligatur in coelis, hoc est, in coelesti gloria, secundum illud: *Merces vestra copiosa est in coelis* (Matth. 5, 12). Et haec praeparatio debet esse per coelestium imitationem, quia filius debet imitari patrem. Unde dicitur: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et*

imaginem coelestis (1. Cor. 15, 49). Item, per coelestium contemplationem, quia homines solent frequentius cogitationem dirigere ubi habent patrem, et alia quae diligunt, secundum illud: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (Matth. 6, 21). Unde dicebat Apostolus: *Nostra conversatio in coelis est* (Philip. 3, 20). Et per coelestium intentionem, ut ab eo, qui in coelis est, non nisi coelestia quaeramus, secundum illud: *Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est* (Coloss. 3, 1). *Secundo*, potest pertinere quod dicitur, *qui es in coelis*, ad audientis facilitatem; quia propinquus est nobis, ut intelligatur, *qui es in coelis*, id est in sanctis, in quibus Deus habitat, secundum illud: *Tu in nobis es, Domine* (Jerem. 14, 9). Sancti enim coeli dicuntur, secundum illud: *Coeli enarrant gloriam Dei* (Ps. 18, 1). Habitat autem Deus in sanctis per fidem: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (Eph. 3, 17). Per dilectionem: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* (1 Joan. 4, 16). Per mandatorum impletionem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. 14, 23). *Tertio*,

potest pertinere quod dicitur, *qui es in coelis*, ad efficaciam exaudientis, ut per coelos, corporeos coelos intelligamus, non quod Deus corporalibus coelis includatur, secundum illud: *Coelum et coeli coelorum te capere non possunt* (3 Reg. 8, 27), sed ut significetur, quod Deus est perspicax in consideratione, utpote qui de alto videt. *Prospexit de excelso sancto suo;* et quod sublimis est in potestate, secundum illud: *Dominus in coelo paravit sedem suam;* et quod stabilis est in aeternitate secundum illud: *Tu autem in aeternum permanes, et anni tui non deficient* (Ps. 101, 13 ss.). Unde et de Christo dicitur: *thronus ejus sicut dies coeli* (Ps. 88, 30). Et Philosophus dicit (in 1. de coelo), quod propter incorruptionem coeli, omnes posuerunt coelum esse locum spirituum.

Per hoc ergo quod dicitur, *qui es in coelis*, datur nobis fiducia orandi, quantum ad tria. Quantum ad potestatem, et quantum ad familiaritatem ejus a quo petitur, et quantum ad congruitatem petitionis. Potestas enim ejus a quo petitur insinuatur, si per coelos intelligantur coeli corporei, et quamvis ipse locis corporalibus non comprehendatur, cum scriptum sit: *Coelum et terram ego impleo* (Jerem. 23, 24), tamen

dicitur esse in coelis corporeis, ad insinuandum duo, scil. potentiae ejus virtutem, et sublimitatem naturae. Primum quidem est contra illos, qui dicunt omnia ex fato coelestium corporum ex necessitate accidere, secundum quam opinionem inutile esset aliquid a Deo orando petere. Sed hoc stultum est, cum Deus in coelis sic esse dicatur, ut coelorum Dominus et stellarum, secundum illud: *Dominus in coelo paravit sedem suam* (Ps. 102, 19). Secundum vero contra illos est, qui in orando aliquas sibi corporeas phantasias de Deo proponunt et fingunt; ideo dicitur esse in coelis; ut per id, quod in sensibilibus rebus est altissimum, ostendatur divina sublimitas omnia excedens etiam hominum desiderium et intellectum. Unde quidquid cogitari, vel desiderari potest, est minus quam Deus. Propter quod dicitur: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram* (Job. 36, 26). *Excelsus super omnes gentes Dominus* (Ps. 112, 4). *Cui similem fecistis Deum* (Isa. 40, 18). Familiaritas autem Dei ostenditur, si per coelos sancti accipiantur. Quia enim propter ejus altitudinem aliqui dixerunt, quod humana non curat, oportet considerare, quia nobis est vicinus, imo intimus, quia dicitur esse in

coelis, id est in sanctis, qui coeli dicuntur, secundum illud: *Coeli enarrant gloriam Dei* (Ps. 18, 1). *Tu in nobis es Domine* (Jerem. 14, 9). Hoc enim affert fiduciam orantibus quantum ad duo. Primo, quantum ad propinquitatem Dei, secundum illud: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum* (Ps. 144, 18). Unde (Matth. 6, 6): *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum*, scil. cordis. Secundo, quia per patrocinium aliorum sanctorum possumus impetrare quod petimus, secundum illud: *Ad aliquem sanctorum convertere* (Job. 5, 1). *Orate pro invicem, ut salvemini* (Jac. 5, 16). Idoneitatem etiam et congruitatem accipit oratio, ex hoc quod dicitur *esse in coelis*, secundum quod per coelos spiritualia bona et aeterna intelliguntur, in quibus est beatitudo propter duo. Primo, quia per hoc excitatur nostrum desiderium ad coelestia. Tendere enim debet illuc desiderium nostrum, ubi patrem habemus, quia illic est haereditas nostra. *Quae sursum sunt quaerite* (Col. 3, 1). *In haereditatem immarcescibilem, conservatam in coelis* (1 Pet. 1, 4). Secundo, quia per hoc informamur ut sit vita coelestis, ut simus conformes patri coelesti, secundum illud: *Qualis coelestis, tales et coelestes* (1.

Cor. 15, 48). Et haec duo faciunt idoneum ad petendum, scil. desiderium coeleste, et vita coelestis, ex quibus oratio congrua fit.

XI. Petitio prima. Proprietates nominis divini.

Sanctificetur nomen tuum. Haec est prima petitio, in qua petitur ut nomen ejus in nobis manifestetur et declaretur. Est autem nomen Dei primo mirabile, quia in omnibus creaturis mirabilia operatur. Unde Dominus in evangelio: *In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit* (Marc. 16, 17). Secundo est amabile. *Non est aliud nomen datum sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. 4, 12). Salus autem est ab omnibus diligenda. Exemplum de B. Ignatio, qui in tantum nomen Christi dilexit, quod cum Trajanus requireret ab eo, ut nomen Christi negaret, respondit, quod de ore ejus removeri non posset. Et cum ille minaretur sibi caput abscindere, et Christum de ejus ore removere, dixit: „Et si de ore abstuleris, nunquam tamen de corde eripere poteris: hoc enim nomen cordi meo inscriptum habeo, et ideo ab ejus invocatione cessare

non valeo“. Quod audiens Trajanus et probari cupiens, servi Dei abscisso capite, cor ejus extrahi jussit, et inventum est habens nomen Christi in eo scriptum literis aureis. Posuerat enim super cor suum hoc nomen quasi signaculum. Tertio est venerabile. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum* (Philip. 2, 10). Coelestium, quantum ad angelos et beatos: terrestrium, quantum ad mundanos, qui hoc faciunt ex amore adipiscendae gloriae, vel timore fugiendae poenae; et infernorum, quoad damnatos, qui hoc faciunt ex timore. Quarto est inexplicabile, quia a narratione ejus deficiunt omnes linguae. Et ideo explicatur aliquando per creaturas. Unde dicitur lapis ratione firmitatis: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18). Item, ignis ratione purificationis, quia sicut ignis metalla purificat, ita Deus purificat corda peccatorum. Unde *Deus tuus ignis consumens est* (Deut. 4, 24). Item, lux ratione illuminationis, quia sicut lux illuminat tenebras, ita nomen Dei illuminat tenebras mentis. *Deus meus illumina tenebras meas* (Ps. 17, 29).

XII. Sanctum aliquid tripliciter dici potest.

Unde istud nomen petimus manifestari, ut cognoscatur et teneatur sanctum. Sanctum autem tripliciter dicitur. *Sanctum* enim idem est quod firmum: unde omnes beati qui in coelo sunt, sancti dicuntur, quia sunt aeterna felicitate firmati. In mundo non possunt esse sancti, quia sunt continue mobiles. Augustinus: „Defluxi Domine a te, et erravi nimis, devius factus sum a stabilitate tua.“ Secundo, sanctum idem est quod non terrenum, unde sancti qui in coelo sunt, nullum habent affectum terrenum: unde Apostolus: *Omnia arbitratus sum ut stercora etc.* (Philip. 3, 8). Per terram autem designantur peccatores. Primo, ratione germinis. Terra enim si non colitur, spinas et tribulos germinat; sic anima peccatoris nisi colatur per gratiam, non germinat nisi tribulos et punctiones peccatorum. *Spinas et tribulos germinabit tibi* (Gen. 3, 18). Secundo, ratione caliginis. Terra enim caliginosa est et opaca. Sic etiam peccator caliginosus et opacus est. *Tenebrae erant super faciem abyssi* (Gen. 1, 2). Tertio, ratione conditionis. Terra enim est elemen-

tum siccum, quod spargitur, nisi contineatur ab aquae humiditate, nam Deus posuit terram super aquas. *Qui firmavit terram super aquas* (Ps. 135, 6): quia ex humiditate aquae continetur ariditas vel siccitas terrae; sic peccator animam habet siccam et aridam, juxta illud: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (Ps. 142, 6). Item, tertio dicitur sanctum, id est sanguine tinctum; unde sancti qui sunt in coelo, sancti dicuntur, eo quod sint sanguine tincti, juxta illud: *Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine agni* (Apoc. 7, 14). Item: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (Apoc. 1, 5).

XIII. Petitio secunda oritur ex affectu pietatis.

Adveniat regnum tuum. Sicut dictum est, Spiritus sanctus facit nos recte amare, desiderare et petere; et efficit in nobis, primo timorem, per quem quaerimus, quod *nomen Dei sanctificetur.* Aliud donum est, quod est donum pietatis: et est proprie pietas dulcis et devotus affectus ad patrem, et ad omnem hominem in miseria constitutum. Cum ergo Deus sit pater noster, ut patet, non solum debemus eum revereri et timere,

sed etiam ad eum habere debemus dulcem et pium affectum. Hic autem affectus facit nos petere, quod *adveniat regnum* Dei. *Pie et juste vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei* (Tit. 2, 12).

XIV. In secunda petitione petimus primo ut justi convertantur, peccatores puniantur et mors destruatur.

Posset autem quaeri: regnum Dei semper fuit, quare ergo petimus quod veniat? Et ideo dicendum est, quod hoc potest tripliciter intelligi. *Primo*, quia aliquando rex habet jus regni solum seu dominii, et tamen nondum dominium ipsius regni est declaratum, quia nondum homines regni sunt ei subjecti. Tunc ergo apparebit primo ejus regnum, seu dominium, quando homines regni erunt ei subjecti. Deus autem ex se et sua natura est Dominus omnium, et Christus secundum quod Deus, et etiam secundum quod homo, habet a Deo, quod sit Dominus omnium. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum* (Dan. 7, 14). Oportet ergo quod ei sint omnia subjecta. Hoc autem nondum est, sed erit in finem. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos*

sub pedibus ejus (1. Cor. 15, 25). Et ideo petimus et dicimus: *adveniat regnum tuum.* Et hoc quantum ad tria, scil. ut justi convertantur, peccatores puniantur, et mors destruatur. Nam homines dupliciter subjiciuntur Christo, aut voluntarii, aut inviti. Cum enim voluntas Dei sit ita efficax, quod oporteat penitus illam compleri, et Deus velit quod omnia subjiciantur Christo; alterum duorum erit necessarium, ut scilicet aut homo faciat voluntatem Dei subjiciendo se mandatis ejus, et hoc facient justi; aut Deus faciat de omnibus voluntatem suam, puniendo eos, et hoc faciet peccatoribus et inimicis suis. Et hoc erit in fine mundi. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (Ps. 109, 2). Et ideo sanctis est datum quaerere, quod *adveniat regnum Dei*, scil. quod ipsi totaliter subjiciantur ei. Sed peccatoribus est horribile, quia nihil aliud est quaerere, quod *adveniat regnum Dei*, nisi quod voluntate Dei subjiciantur poenis. *Vae desiderantibus diem Domini* (Amos. 5, 18). Sed et ex hoc destruitur mors. Cum enim Christus sit vita, non potest in regno ejus esse mors, quae est vitae contraria, ideo dicitur: *Novissime autem inimica destruetur mors* (1. Cor. 15, 26). Et hoc erit in resurrectione.

Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae (Philipp. 3, 21).

XV. Petimus deinde ut simus participes regni coelestis.

Secundo, regnum coelorum dicitur gloria paradisi, nec mirum. Nam regnum nihil aliud dicitur nisi regimen. Ibi autem est optimum regimen, ubi nihil invenitur contra voluntatem regentis. Voluntas autem Dei est salus hominum; *quia vult omnes homines salvos fieri* (1. Tim. 2, 4). Et hoc potissime erit in paradiso, ubi nihil erit saluti hominum repugnans. *Colligent de regno ejus omnia scandala* (Matth. 13, 41). In mundo autem isto sunt multa contra salutem hominum. Cum ergo petimus, *adveniat regnum tuum*, oramus ut simus participes regni coelestis et gloriae paradisi. Quod quidem regnum est valde desiderandum propter tria. Primo, propter summam justitiam quae est in eo. *Populus tuus omnes justi* (Isa. 60, 21). Hic enim mali sunt mixti bonis, sed ibi nullus peccator. Item, propter perfectissimam libertatem. Hic enim non est libertas, quamquam omnes naturaliter desiderent eam: sed ibi erit omnimoda

libertas contra omnem servitutem. *Ipsa creatura liberabitur a corruptione* (Rom. 8, 21). Et non solum erunt ibi omnes liberi, sed erunt reges. *Fecisti nos Deo nostro regnum* (Apoc. 5, 10). Cujus ratio est, quia omnes erunt ejusdem voluntatis cum Deo, et Deus volet quidquid sancti volunt, et sancti quidquid Deus voluerit. Unde cum voluntate Dei fiet voluntas eorum. Et ideo omnes regnabunt, quia omnium voluntas fiet, et Dominus erit corona omnium. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et sertum exultationis residuo populi sui* (Isa. 28, 5). Item, propter mirabilem affluentiam. *Oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te* (Isa. 64, 4). *Qui replet in bonis desiderium tuum* (Ps. 102, 5). Et nota, quod homo inveniet omnia in solo Deo excellentius, et perfectius omni eo, quod in mundo quaeritur. Si delectationem quaeris, summam invenies in Deo. Si divitias, ibi omnem sufficientiam invenies, propter quam sunt divitiae, et sic de aliis. Augustinus: (in Confess.) „Anima cum fornicatur abs te, quaerit extra te, quae pura et limpida non invenit, nisi cum redit ad te.“

XVI. Petimus tertio ut non regnet in nobis peccatum, sed ipse Deus.

Tertio modo, quia aliquando in mundo isto regnat peccatum: et hoc est quando homo ita est dispositus, quod statim sequitur et prosequitur appetitum peccati. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (Rom. 6, 12): sed debet Deus regnare in corde tuo. *Sion regnabit Deus tuus* (Isa. 52, 7). Et hoc est, quando paratus es obedire Deo, et servare omnia mandata illius. Cum ergo petimus quod *veniat regnum*, oramus quod non regnet in nobis peccatum, sed ipse Deus. Per hanc autem petitionem perveniemus ad beatitudinem, de qua dicitur: *Beati mites* (Matth. 5, 4). Nam secundum primam expositionem, ex quo homo desiderat, quod Deus sit Dominus omnium, non vindicat se de injuria sibi illata, sed reservat eam Deo. Nam si vindicares te, non quaereres quod adveniret regnum ejus. Secundum vero secundam expositionem, si tu expectas regnum ejus, id est, gloriam paradisi, non debes curare si perdis res mundanas. Item, secundum tertiam expositionem, si tu petis quod Deus regnet in te et Christus, cum ipse fuerit mitissimus, et tu debes esse

mitis. *Discite a me, quia mitis sum* (Matth. 11, 29). *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis* (Heb. 10, 34).

XVII. Donum scientiae inducit nos ad petitionem tertiam.

Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Tertium donum quod efficit in nobis Spiritus sanctus, dicitur donum scientiae. Ipse enim Spiritus sanctus non solum efficit in bonis donum timoris et donum pietatis, quae est dulcis affectus ad Deum, ut dictum est, sed etiam facit hominem sapientem. Et hoc petebat David dicens: *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me* (Ps. 118, 66). Et haec est scientia, qua homo bene vivit, quam docuit nos Spiritus sanctus. Inter alia autem quae faciunt ad scientiam et sapientiam hominis, potissima sapientia est, quod homo non innitatur sensui suo. *Ne innitaris prudentiae tuae* (Prov. 3, 5). Nam illi qui praesumunt de sensu suo, ita quod non credunt aliis, sed sibi tantum, semper inveniuntur et judicantur stulti. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens* (Prov. 26, 12). Quod autem homo non credat sensui suo, procedit ex humilitate. Unde

et locus humilitatis est sapientia, ut dicitur Proverb. 11, 2. Superbi autem sibi ipsis nimis credunt. Docet ergo hoc Spiritus sanctus per donum scientiae, ut scil. non faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei. Et ideo propter hoc donum petimus a Deo, ut fiat voluntas illius *sicut in coelo et in terra,* et in hoc apparet donum scientiae. Unde hoc modo dicitur Deo: *fiat voluntas tua.* Sicut si esset unus infirmus, et vellet aliquid a medico, non praecise vult, sed de voluntate medici; alias si tantum de voluntate sua vellet, esset stultus. Sic nos a Deo nihil petere debemus, nisi quod fiat de nobis voluntas sua, id est, ut voluntas sua compleatur in nobis. Tunc enim est rectum cor hominis, quando concordat cum voluntate divina. Hoc Christus fecit. *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (Joan. 6, 38). Christus enim secundum quod Deus, eandem voluntatem habet cum Patre, sed secundum quod homo, habet aliam voluntatem a Patre; et secundum hanc dicit se non facere voluntatem suam, sed Patris. Et ideo docet nos orare et petere: *Fiat voluntas tua.*

XVIII. Vult nos Deus vitam habere aeternam.

Sed quid est quod dicitur? Nonne (in Ps. 113, 3) dicitur: *Omnia quaecumque voluit fecit?* Si omnia facit, quae vult in coelo et in terra, quid est hoc quod dicit: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra?* Ad hoc sciendum est, quod Deus tria vult de nobis, et nos petimus quod haec impleantur. *Primum* quidem quod Deus vult de nobis est, quod nos habeamus vitam aeternam. Quicunque enim facit aliquid propter aliquem finem, vult de illa re illud, pro quo facit eam. Deus autem fecit hominem, sed non pro nihilo: quia sicut dicitur: *Numquid vane constituisti omnes filios hominum* (Ps. 88, 48)? Fecit ergo homines propter aliquid, sed non propter voluptates, quia et bruta habent eas, sed ut habeant vitam aeternam. Vult ergo Dominus, ut homo habeat vitam aeternam. Quando vero aliquid consequitur illud, ad quod factum est, dicitur quod salvatur; quando vero non consequitur, dicitur quod res illa perditur. Deus autem fecit hominem propter vitam aeternam. Cum ergo consequitur vitam aeternam, salvatur, et hoc vult Dominus. *Haec est*

voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam (Joan. 6, 40). Haec autem voluntas jam completa est in angelis, et in sanctis qui sunt in patria, quia vident Deum, et cognoscunt et fruuntur eo. Sed nos desideramus, quod sicut voluntas Dei completa est in beatis qui sunt in coelis, ita compleatur in nobis qui sumus in terra. Et hoc petimus cum oramus, *fiat voluntas tua*, in nobis qui sumus in terra, sicut in sanctis qui sunt in coelo.

XIX. Alia voluntas Dei est, ut servemus mandata ejus.

Alia voluntas Dei de nobis est, ut servemus mandata ejus. Quando enim aliquis desiderat aliquid, non solum vult illud quod desiderat, sed omnia per quae venitur ad illud; sicut medicus, ut consequatur sanitatem, vult etiam dietam et medicinam et hujusmodi. Deus autem vult, ut habeamus vitam aeternam. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matth. 19, 17). Vult ergo ut servemus mandata. *Rationabile obsequium vestrum, ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta* (ad Rom. 12, 1). Bona, quia utilis. *Ego Do-*

minus docens te utilia (Isai. 48, 17). Beneplacens amanti, et si aliis non sit grata, amanti tamen est delectabilis. *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia* (Ps. 96, 11). Perfecta, quia honesta. *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (Matth. 5, 48). Sic ergo cum dicimus, *fiat voluntas tua*, oramus, ut impleamus mandata Dei. Haec autem voluntas Dei fit in justis, sed in peccatoribus nondum fit. Justi autem designantur per coelum; peccatores autem per terram. Petimus ergo ut fiat voluntas Dei in terra, id est in peccatoribus, sicut in coelo, id est in justis. Notandum autem, quod ex modo loquendi datur nobis doctrina. Non enim dicit fac, nec etiam faciamus; sed dicit, *fiat voluntas tua*, quia ad vitam aeternam duo sunt necessaria, scil. gratia Dei et voluntas hominis; et licet Deus fecerit hominem sine homine, non tamen justificat eum sine eo. Augustinus [1]): „Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te“: quia vult quod homo cooperetur. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (Zach. 1, 3). *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit*

[1]) Serm. 196 n. 13.

(1. Cor. 15, 10). Non ergo praesumas de te, sed confidas de gratia Dei; nec negligas, sed adhibeas studium tuum. Et ideo non dicit, faciamus, ne videretur quod nihil faceret gratia Dei; nec dicit, fac, ne videatur quod nihil faceret voluntas et conatus noster: sed dicit, fiat, per gratiam Dei adhibito studio et conatu nostro.

XX. Vult Deus ut restituamur eum in statum, in quo creatus fuit primus homo.

Tertium, quod vult Deus de nobis, est, ut restituatur homo ad statum et dignitatem in qua creatus fuit primus homo; quae tanta fuit, ut spiritus et anima nullam repugnantiam sentiret a carne et sensualitate. Quamdiu enim anima subjecta fuit Deo, caro ita subjecta fuit spiritui, ut nullam corruptionem mortis seu infirmitatis et aliarum passionum sentiret. Sed ex quo spiritus et anima, quae erat media inter Deum et carnem, rebellavit Deo per peccatum, tunc corpus rebellavit animae, et tunc mortem et infirmitates sentire coepit, et continuam rebellionem sensualitatis ad spiritum. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae* (Rom. 7, 23); et: *Caro*

concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem (ad Gal. 5, 17). Sic est continua pugna inter carnem et spiritum, et homo continue deterioratur per peccatum. Est ergo voluntas Dei, ut homo restituatur ad statum primum, ut scil. nihil sit in carne contrarium spiritui. *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra* (1. Thessal. 4, 3). Haec autem voluntas Dei non potest impleri in vita ista, sed complebitur in resurrectione sanctorum, quando resurgent corpora glorificata, et erunt incorruptibilia et nobilissima. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria* (1. Cor. 15, 43).

XXI. Cum dicimus *Fiat voluntas tua*, oramus ut voluntas Dei fiat etiam in carne nostra.

Est tamen voluntas Dei in justis, quantum ad spiritum, per justitiam et scientiam et vitam. Et ideo cum dicimus, *fiat voluntas tua*, oramus ut etiam fiat in carne. Nam hoc modo per coelum accipimus spiritum, per terram carnem, ut sit sensus: *Fiat voluntas tua ita in terra*, id est in carne nostra, *sicut fit in coelo*, id est in spiritu nostro per justitiam. Per hanc autem petitionem pervenimus ad beatitudinem luctus, de

qua: *Beati qui lugent* (Matth. 5, 5), et hoc secundum quamlibet trium expositionum. Nam secundum primam desideramus vitam aeternam, unde per ejus dilectionem inducimur ad luctum. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (Ps. 119, 5). Et hoc desiderium sanctorum est ita vehemens, quod propter hoc desiderant mortem, quae secundum se fugienda est. *Audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Deum* (2. Cor. 5, 8). Item secundum secundam expositionem illi, qui servant mandata, sunt in luctu; quia licet sint dulcia animae, tamen carni sunt amara, quae continue maceratur. *Euntes ibant et flebant*, quantum ad carnem, *venientes autem venient cum exultatione* (Ps. 125, 6), quantum ad animam. Item secundum tertiam expositionem ex pugna, quae continue est inter carnem et spiritum, provenit luctus. Non enim potest fieri quin anima saucietur ad minus per venialia a carne, et ideo ut expietur, est in luctu. *Lavabo per singulas noctes* (Ps. 6, 7), id est obscuritates peccati, *lectum meum*, id est conscientiam meam. Et qui sic plorant, perveniunt ad patriam, ad quam nos perducat Deus.

XXII. Dono fortitudinis docemur panem petere quotidianum.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Multoties accidit quod aliquis ex magna scientia et sapientia efficitur timidus, et ideo est ei necessaria fortitudo cordis, ne deficiat in necessitatibus. *Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem, et robur multiplicat* (Isa. 40, 29). Hanc autem fortitudinem Spiritus sanctus dat. *Ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos* (Ezech. 2, 2). Est autem haec fortitudo, quam Spiritus sanctus dat, ut cor hominis non deficiat timore rerum necessariarum, sed credat firmiter, quod omnia, quae sunt ei necessaria, ministrentur sibi a Deo. Et ideo Spiritus sanctus, qui hanc fortitudinem dat, docet nos petere a Deo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* unde Spiritus fortitudinis dicitur.

XXIII. Tribus prioribus petitionibus spiritualia petimus, quarta temporalia, circa quae quinque sunt vitanda vitia.

Sciendum est autem, quod in tribus praecedentibus petitionibus petuntur spiritualia,

quae hic inchoantur in hoc mundo, sed non perficiuntur nisi in vita aeterna. Cum enim petimus quod sanctificetur nomen Dei, petimus quod cognoscatur sanctitas Dei. Cum vero petimus quod *adveniat regnum Dei*, petimus quod simus participes vitae aeternae. Cum autem oramus quod *fiat voluntas Dei*, petimus quod compleatur voluntas ejus in nobis. Quae omnia etsi inchoentur in hoc mundo, non tamen possunt haberi perfecte nisi in vita aeterna. Et ideo necessarium fuit aliqua petere necessaria, quae perfecte possent haberi in vita praesenti. Et inde est, quod Spiritus sanctus docuit petere necessaria in vita praesenti, quae perfecte hic habentur. Simul etiam ut ostendat, quod etiam temporalia providentur nobis a Deo; et hoc est quod dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In quibus quidem verbis docuit nos vitare quinque peccata, quae consueverunt contingere ex desiderio rerum temporalium. *Primum* peccatum est, quod homo per immoderatum appetitum petit ea, quae statum et conditionem ejus excedunt, non contentus his quae decent eum. Sicut si desiderat vestes, non vult eas ut miles, si est miles, sed sicut comes: non ut clericus, si est clericus, sed

sicut episcopus; et hoc vitium retrahit homines a spiritualibus, in quantum nimis inhaeret eorum desiderium temporalibus. Hoc autem vitium docuit nos vitare Dominus, docens nos petere panem tantum, id est necessaria ad praesentem vitam secundum conditionem uniuscujusque; quae omnia sub nomine panis intelliguntur. Unde non docuit delicata petere, non diversa, non exquisita, sed panem, sine quo vita hominis duci non potest, quia omnibus communis est. *Initium vitae hominis panis et aqua* (Eccl. 29, 28). *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (1. Tim. 6, 8). *Secundum* vitium est, quod aliqui in acquisitione rerum temporalium alios molestant et defraudant. Hoc vitium est adeo periculosum, quod sit difficile bona ablata restitui. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, secundum Augustinum. Quod quidem vitium docuit nos vitare, docens nos petere panem nostrum, non alienum. Raptores enim non comedunt panem suum, sed alienum. *Tertium* est superflua sollicitudo. Aliqui enim sunt, qui nunquam sunt contenti de eo quod habent, sed semper plus volunt, quod quidem immoderatum est; quia desiderium debet moderari secundum neces-

sitatem. *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria* (Prov. 30, 8). Et hoc monuit nos vitare dicens: *Panem nostrum quotidianum*, id est unius diei, vel unius temporis.

Quartum vitium est immoderata voracitas. Sunt enim aliqui, qui tantum volunt consumere uno die, quod sufficeret pluribus diebus; et isti petunt non panem quotidianum, sed decem dierum; et ex hoc, quod nimis expendunt, contingit quod omnia consumunt. *Vacantes potibus, et dantes symbola consumentur* (Prov. 23, 21). *Operarius ebriosus non locupletabitur* (Eccles. 19, 1). Quintum vitium est ingratitudo. Nam cum aliquis ex divitiis superbit, et non recognoscit a Deo ea quae habet, hoc est valde malum; quia omnia quae habemus sive spiritualia, sive temporalia, a Deo sunt. *Tua sunt omnia, quae de manu tua accepimus, et dedimus tibi* (1. Paral. 29, 14). Ideo ad removendum hoc vitium dicit: *Da nobis*, et *panem nostrum*, ut sciamus, quod omnia nostra a Deo sunt. Sed de hoc habemus unum documentum; quia aliquando aliquis habet multas divitias, et ex eis nullam utilitatem consequitur, sed damnum spirituale et temporale. Nam aliqui propter divitias

perierunt. *Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat et eo; sed homo extraneus vorabit illud* (Eccles. 6, 1). Item: *Divitiae conservatae in malum Domini sui* (Eccles. 5, 12). Debemus ergo petere, ut divitiae nostrae sint nobis ad utilitatem; et hoc petimus cum dicimus: *Panem nostrum da nobis*, id est fac divitias nobis utiles. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus* (Job 20, 14). *Aliud* vitium est in rebus mundi, scil. superflua sollicitudo. Nam aliqui sunt, qui hodie sollicitantur de rebus temporalibus, quae erunt usque ad unum annum. Et qui hoc habent, nunquam quiescunt. *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur* (Matth. 6, 31)? Et ideo Dominus docet nos petere, quod hodie detur nobis panis noster, id est ea quae sunt nobis necessaria ad praesens tempus.

XXIV. Duplex alius panis.

Invenitur quidem alius duplex panis, scil. sacramentalis, et panis verbi Dei. Petimus ergo *panem nostrum* sacramentalem, qui quotidie in Ecclesia conficitur, ut sicut illum accipimus in sacramento, ita detur nobis ad salutem. *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi* (Joan. 6, 51). Et *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (1. Cor. 11, 29). Item alius panis est verbum Dei. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (Matth. 4, 4). Petimus ergo ut det nobis panem, id est verbum suum. Ex hoc autem provenit homini beatitudo, quae est fames justitiae. Nam postquam spiritualia habentur, magis desiderantur, et ex hoc desiderio provenit fames, et ex fame satietas vitae aeternae.

XXV. Consilium est Spiritus S. ut petamus a Deo veniam peccatorum.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Inveniuntur aliqui magnae sapientiae et fortitudinis, et quia nimis confidunt de virtute sua, non agunt sapienter quae agunt, nec

perducunt quod intendunt ad complementum. *Cogitationes consiliis roborantur* (Prov. 20, 18). Sed notandum, quod Spiritus sanctus, qui dat fortitudinem, dat etiam consilium. Nam omne bonum consilium de salute hominum est a Spiritu sancto. Tunc autem consilium est homini necessarium, quando est in tribulatione, sicut consilium medicorum cum aliquis infirmatur. Unde et homo cum spiritualiter infirmetur per peccatum, debet quaerere consilium ut sanetur. Consilium autem peccatori necessarium ostenditur (Dan. 4, 24): *Consilium meum placeat tibi rex: Peccata tua eleemosynis redime.* Optimum ergo consilium contra peccata est eleemosyna et misericordia; et ideo Spiritus sanctus docet peccatores petere et orare: *Dimitte nobis debita nostra.* Debemus autem Deo illud, quod auferimus de jure suo. Jus autem Dei est, ut faciamus voluntatem suam, praeferendo eam voluntati nostrae. Auferimus ergo Deo jus suum, cum praeferimus voluntatem nostram voluntati suae, et hoc est peccatum. Peccata ergo sunt debita nostra. Est ergo consilium Spiritus sancti, ut petamus a Deo veniam peccatorum. Et ideo dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.*

XXVI. Quinta petitio docet nos semper esse in timore et humilitate.

Possumus autem in his verbis tria considerare. Primum est, quare fit haec petitio; secundum, quomodo impleatur; tertium est, quid requiratur ex parte nostra ut impleatur. Circa *primum* sciendum, quod ex hac petitione possumus duo colligere, quae necessaria sunt hominibus in vita ista. Unum est, quod homo semper sit in timore et humilitate. Aliqui enim fuerunt ita praesumptuosi, qui dicerent, quod homo poterat vivere in mundo isto ita, quod ex se poterat vitare peccata. Sed hoc nulli datum est, nisi soli Christo, qui habuit spiritum non ad mensuram; et beatae Virgini, quae fuit plena gratiae, in qua nullum peccatum fuit, sicut dicit Augustinus: „de qua (scil. Virgine), cum de peccatis agitur, nullam volo fieri mentionem“. Sed de aliis sanctis nulli concessum est, quin ad minus veniale peccatum incurreret. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (1. Joan. 1, 8). Et hoc etiam probatur per petitionem istam. Constat enim quod omnibus, etiam sanctis hominibus convenit dicere *Pater noster*, in

quo dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.* Ergo omnes recognoscunt et confitentur se peccatores vel debitores [1]). Si ergo peccator es, debes timere et humiliari.

---

[1]) Hi *praesumptuosi*, quorum hic meminit Thomas, sunt Pelagiani, qui hominibus *ἀπάθειαν* et *ἀναμαρτησίαν* vindicabant. Nominibus autem *ἀπαθείας* et *ἀναμαρτησίας* non immunitatem duntaxat a deliberatis peccatis, verum etiam ab indeliberatis concupiscentiae motibus intelligebant. Quum vero Patres adversus eos urgerent verba orationis dominicae, qua etiam sancti et justi uti solent imo et debent, vim eorundem Pelagiani perversis quibusdam interpretationibus enervare conabantur. Contra has pelagianas verborum Domini corruptelas Concilium Carthaginense a. 418. duos edidit canones, quos eo libentius hic afferemus, quod *authenticum* Ecclesiae *commentarium* petitionis hujus quintae contineant. Prior (VII) ita habet: „Item placuit, ut quicunque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: Dimitte *mihi* debita mea, sed dimitte *nobis* debita nostra, ut hoc pro aliis potius quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim et justus erat apostolus Jacobus quum dicebat: *In multis offendimus omnes.* Nam quare additum est *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret et Psalmo ubi legitur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in*

XXVII. Fovet haec petitio in nobis spem.

Aliud est, quod semper vivamus in spe, quia licet simus peccatores, non debemus desperare, ne desperatio ducat nos ad majora et diversa peccata, sicut dicit Apostolus: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis* (Ephes. 4, 19). Ergo multum est

---

conspectu tuo omnis vivens. Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo qui non peccet.* Et in libro Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam.* Unde etiam Daniel sanctus et justus quum in oratione pluraliter diceret, peccavimus, iniquitatem fecimus, et cetera quae ibi veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, haec non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Quum orarem et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Domino Deo nostro,* noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, et sua, quia futuros istos, qui tam male intelligunt, tanquam propheta praevidit.“ In altero vero (VIII) statuitur: „Ut quicunque verba ista dominicae orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra,* ita volunt a sanctis dici, ut *humiliter,* non *veraciter* hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, et non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur, debita non habere?“

utile, quod semper speremus: quia quantumcunque homo sit peccator, debet sperare, quod Deus, si perfecte conteratur et convertatur, dimittet ei. Haec autem spes firmatur in nobis, cum petimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Sed hanc spem abstulerunt Novatiani, qui dixerunt, quod qui semel peccabant post baptismum, nunquam consequebantur misericordiam. Hoc autem non est verum, si verum dixit Christus dicendo: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me* (Matth. 18, 32). In quacunque ergo die petes, poteris consequi misericordiam, si roges cum poenitudine peccati. Sic igitur ex hac petitione consurgit timor et spes, quia omnes peccatores contriti et confitentes, misericordiam consequuntur, et ideo necessaria fuit haec petitio.

XXVIII. Culpa contritione, poenae vero temporales confessione quoque et indulgentiis remittuntur.

Circa *secundum* sciendum est, quod in peccato sunt duo, scilicet culpa qua offenditur Deus, et poena quae debetur pro culpa. Sed culpa remittitur in contritione, quae est cum proposito confitendi et satisfaciendi. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam*

meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei (Ps. 31, 5). Non est igitur desperandum, ex quo ad remissionem culpae sufficit contritio cum proposito confitendi. Sed forte quis dicet: Ex quo dimittitur peccatum in contritione, ad quid necessarius est sacerdos [1])? Ad hoc dicendum est, quod Deus

---

[1]) Negari nequit Thomam favere hic opinioni illi, quam plures etiam primi nominis theologi Scholae cum magistro sententiarum (L. 4 D. 18) tuebantur, contritionem eamque caritate formatam ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum esse necessariam, illiusque virtute, non tamen citra confessionis votum (cf. ib. d. 17), deleri peccata; confessione vero poenam temporalem, in quam poena commutata fuit aeterna, vel totam vel ejus partem remitti (cf. Schäzler Lehre von der Wirksamkeit der Sacramente § 13 ss.). Nostrum non est pluribus hanc sententiam vel exponere vel refellere, quum post concilium Tridentinum nullus theologorum illam amplius defendat, ac ipse S. Thomas eam in Summa theologica (3 p. q. 84 a. 2, 3.) retractaverit. Brevissime tantum, quantum annotationis angustiae permittunt, ad quaestionem respondebimus, quam doctor angelicus hic proponit nec, plene saltem, solvit, quare scil. is, qui virtute contritionis caritate perfectae remissionem consecutus est peccatorum ante susceptum sacramentum (Conc. Trid. Sess. 14, cap. 4), adhuc obligetur ad potestatem recurrere clavium et confiteri peccata jam remissa. Hujus obligationis ratio est *multiplex.* Obligatur 1) ratione *voti* seu *propositi* con-

in contritione dimittit culpam, et poena aeterna commutatur in temporalem; sed nihi-

---

fitendi, cum contritio caritate perfecta *non sine sacramenti voto* hominem Deo reconciliet (Conc. Trid. Sess. 14, cap. 4); quare cum peccator nonnisi quatenus votum seu propositum (explicitum vel implicitum) sacramenti recipiendi habet remissionem consequatur peccatorum a Deo, qui ex infinita sua bonitate propositum bonum operis ipsius loco recipit, gravissimo obstringitur officio propositum exsequendi suum, recurrendi proinde ad potestatem clavium confitendique peccata sua, ne in negotio tanti momenti Deo illusisse videatur. Obligatur 2) ratione *satisfactionis* Deo exhibendae. Fideles enim pro peccatis gravibus post baptismum commissis satisfacere tenentur (cf. Conc. Trid. Sess. 14, cap. 8) secundum judicium eorum, quibus concredita est potestas clavium, quae non tantum ad solvendum sed etiam *ad ligandum* datae sunt (ib. can. 15). Hanc rationem indicat Thomas (Suppl. q. 10 a 5 ad 1) cum ad quaestionem, quare peccata ex oblivione in confessione omissa, sed virtute remissa absolutionis, clavibus sint postea subjicienda, si eorum recordemur, respondet: „Dicendum quod in confessione sacramentali non solum requiritur absolutio, sed judicium sacerdotis satisfactionem imponentis exspectatur; et quamvis iste absolutione sit functus, tamen tenetur confiteri, ut suppleatur quod defuit sacramentali confessioni.“ Obligatur 3) ratione *ordinis* et *disciplinae*. Vult enim Deus, ut quae praeter ordinem a se statutum via quasi extraordinaria benignus confert, rata veluti habeantur ab Ecclesia, non quasi sine hujus

lo minus manet adhuc obligatus ad poenam temporalem, unde si decederet sine confes-

---

approbatione irrita forent, sed quod eam vicariam constituerit suam nosque ab illa ut filios a matre voluerit pendere, ut spiritui privato viam praecluderet, illusiones illius, qui se in angelum transfigurat lucis (2 Cor. 11, 14), praepediret, obedientiamque foveret et humilitatem. Hinc ipse illos, quos a lepra sanavit, ad sacerdotes misit (Luc. 17, 14); hinc Paulum, quem vel ipso conversionis momento vel saltem illo triduo, quod totum in jejunio et oratione transegit, justificatum fuisse vix possumus dubitare (cf. Thomam 1, 2 q. 113 a. 10), ad Ananiam ire jussit, ut ab eo baptizaretur (Act. 9, 7 ss.). Hinc idem Paulus, licet *apostolus non ab hominibus neque per hominem sed per Jesum Christum* (Gal. 1, 1), ascendit *secundum revelationem* Jerosolymam, ut conferret cum iis, qui videbantur aliquid esse, Evangelium suum *ne in vacuum curreret aut cucurrisset* (ib. 2, 2). Hinc Cornelius qui „audiens et credens quod praedicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti“ (Aug. q. 33 in Num. n. 9), ab Apostolorum tamen principe baptizatus fuit. Cui rationi illa affinis est, quam reddit S. Thomas (Suppl. q. 8 a 2 ad 3), quod scil. qui jam virtute contritionis Deo est reconciliatus, reconciliandus sit Ecclesiae per potestatem clavium. Obligatur 4) ratione *boni communis*, alioquin potestas clavium frustraretur, cum quilibet facile contritum se esse sibi persuaderet eaque repeteret, quae merito reprehendit Augustinus (S. 392 al. Hom. 49 in-

sione, non contempta tamen, sed praeventa, iret ad purgatorium, cujus poena, sicut dicit

---

ter 50, qui tamen nonnihil dubius est n. 3): „Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago (poenitentiam): novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo* (Matth. 18, 18)? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi?“ Obligatur 5) ratione *securitatis*, nam „aliquis, inquit Thomas (Suppl. q. 5 a 2 ad 1), non potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem culpae et poenae, et ideo tenetur confiteri et satisfacere, maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum: quod debet ad effectum reduci etiam propter praeceptum, quod est *de confessione annua*.“ Quibus verbis et *sextam* addit *rationem*, quam iterum proponit q. 8 a 2 ad 3. Sed esto eum, qui virtute contritionis Deo jam est reconciliatus, teneri peccata confiteri remissa, poteritne is rite absolvi, an non erit sacerdotatis absolutio vel falsa vel saltem inefficax et inutilis? Nihil minus, nam, ut docet Suarez (T. 4 in 3 p. D. 19 S. 2 n. 19), „quamvis verbum *absolvo* solum videatur significare vinculi solutionem, tamen quia non dissolvitur, nisi per informationem gratiae, ideo juxta subjectam materiam, ex vi ejusdem verbi significatur gratiae infusio ordinata ad peccati remissionem.“ Cum vero sacramenta conferant gratiam non ponenti obicem ex opere operato, contritus autem nullum ponat obicem gratiae, absolutione conferetur contrito gratia ad delendum peccatum destinata, quae,

Augustinus, est maxima. Quando ergo confiteris, sacerdos absolvit te de hac poena in clavium virtute, cui te subjeceris in confessione. Et ideo dixit Christus apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. 20, 23). Unde quando semel confitetur quis, dimittitur ei aliquid de poena hujusmodi; et similiter quando iterum confitetur; et posset toties confiteri, quoad tota ei dimitteretur. Invenerunt[1]) au-

---

si peccata jam sint deleta, non faciet quidem ex injusto justum, sed ex justo magis justum, augens gratiam illam, quae inhaesione sua omnem peccati lethalis maculam excludit. Quod alia ratione exprimi potest: cum nimirum illi, qui contritionis virtute peccatorum jam consecutus est remissionem, absolutionis beneficium impertitur, peccata iterum remittuntur, quod fieri posse dubitari nequit; remittuntur autem *novo titulo*, collata nimirum gratia, quae virtute sibi insita peccata si qua invenit delet; sed quia jam sunt remissa, *amplius lavat* hominem Deo reconciliatum *ab iniquitate sua* aucta ejus munditie (Ps. 50, 4). Quare absolutio hoc in casu, de quo agimus, non est nuda declaratio vel confirmatio remissionis jam obtentae, sed ejusdem confirmatio efficax, realis, novum conferens titulum realem novoque ditans beneficio hominem jam reconciliatum.

[1]) *Invenerunt autem successores apostolorum* i. e. in usum deduxerunt jus sibi divinitus factum

tem successores apostolorum alium modum remissionis hujus poenae, scil. beneficia indulgentiarum, quae existenti in charitate tantum valent, quantum sonant, et quantum pronunciantur. Quod autem Papa hoc possit, satis patet. Nam multi sancti multa

---

relaxandi fidelibus applicatione satisfactionum Christi et sanctorum poenam temporalem remissa jam culpa et poena aeterna divinae justitiae adhuc debitam, quae relaxatio indulgentia postmodum appellari solebat. Quis enim existimabit, Thomam censuisse potestatem concedendi indulgentias harumque usum si substantiam spectes, non formam quandam accidentalem, inventionis esse ecclesiasticae nulla innixae juri divino? Quod, aliis omissis, vel ex hoc ipso loco refellere licet. Neque enim Ecclesiae competit potestas dispensandi satisfactiones Christi et sanctorum, neque auctoritas relaxandi poenas temporales divinae justitiae debitas, nisi ex delegatione divina, sunt enim haec fori divini. Sed docente Thoma indulgentiarum concedendi facultas supponit jus applicandi justis, qui debitores adhuc sunt divinae justitiae, satisfactiones Christi et sanctorum, et hujus applicationis fructus est relaxatio poenae temporalis valida in foro divino. Censuit ergo Thomas jus concedendi indulgentias niti potestati divinitus Ecclesiae factae; quare illud *invenerunt* vel est referendum ad quandam formam accidentalem, qua nunc Ecclesia in concedendis indulgentiis uti solet, vel nil aliud significat, quam apostolorum successores in usum deduxisse, exercuisse jus divinitus sibi concessum.

bona fecerunt, et tamen isti non peccaverunt ad minus mortaliter, et haec bona fecerunt in utilitatem Ecclesiae. Similiter meritum Christi et beatae Virginis sunt sicut in thesauro, unde summus Pontifex et illi quibus ipse committit, possunt hujusmodi merita, ubi necesse est, dispensare. Sic ergo dimittuntur peccata, non solum quantum ad culpam in contritione, sed etiam quantum ad poenam in confessione et per indulgentias.

XXIX. Si non dimittimus debitoribus nostris, nec nobis dimittetur.

Circa tertium sciendum, quod ex parte nostra requiritur, ut nos dimittamus proximis nostris offensas factas nobis, unde dicitur: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* aliter Deus non dimitteret nobis. *Homo homini servat iram, et a Deo quaerit medelam* (Eccli. 28, 3)? *Dimittite, et dimittemini* (Luc. 6, 37); et ideo solummodo in ista petitione ponitur conditio, cum dicitur: *Sicut et nos dimittimus* etc. Si ergo non dimittis, non dimittetur tibi. Sed posses dicere: Ego dicam praecedentia, scil. dimitte nobis, sed illud, scil. *sicut et nos* etc. tacebo. Ergo Christum decipere quaeris? Sed certe non decipis. Nam Christus qui

hanc orationem fecit, bene recordatur ejus, unde non potest decipi. Ergo si dicis ore, adimpleas corde. Sed quaeritur, utrum ille qui non proponit dimittere proximo suo, debeat dicere: *Sicut et nos dimittimus, etc.* Videtur quod non; quia mentitur. Dicendum, quod non mentitur, quia non orat in persona sua, sed Ecclesiae, quae non decipitur; et ideo ponitur ipsa petitio in plurali. Sed sciendum, quod duobus modis dimittitur. Unus est perfectorum, ut scil. offensus requirat offendentem. *Inquire pacem* (Ps. 33, 15). Alius est communiter omnium, ad quem tenentur omnes, ut scil. petenti veniam tribuat. *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur* (Eccli. 28, 2). Ex hoc sequitur alia beatitudo: *Beati misericordes.* Misericordia enim facit nos misereri proximo nostro.

XXX. Quid sit tentatio.

Et ne nos inducas in tentationem. Sunt aliqui, qui licet peccaverint, tamen desiderant veniam consequi de peccatis, unde et confitentur et poenitent, sed tamen non adhibent totum studium quod deberent, ut iterato in peccata non ruant. Quod quidem non est conveniens, ut scil. ex una parte ploret quis

peccata, dum poenitet; ex alia unde ploret accumulet, dum peccat. Et propter hoc dicitur: *Lavamini, mundi estote* etc. (Isa. 1, 16). Et ideo sicut supra dictum est, Christus in praecedenti docuit nos petere veniam peccatorum. In hac vero docet nos petere, ut possimus vitare peccata: ut scilicet non inducamur in tentationem, per quam labamur in peccata, cum dixit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Circa quod tria quaeruntur. Primo, quid sit tentatio; secundo, qualiter homo tentatur, et a quo; tertio vero, quomodo liberatur a tentatione. Circa *primum* sciendum est, quod tentare nihil aliud est, quam experiri seu probare. Unde tentare hominem est probare virtutem ejus. Experitur autem seu probatur virtus hominis dupliciter, secundum quod duo exigit hominis virtus. Unum pertinet ad bene operandum, scilicet quod bene operetur; aliud est, quod caveat a malo. *Declina a malo, et fac bonum* (Ps. 33, 15). Probatur ergo virtus hominis quandoque quantum ad hoc, quod bene facit, quandoque vero quantum ad hoc, quod cessat a malo. Quantum ad primum probatur homo, utrum inveniatur promptus ad bonum, ut ad jejunandum et hujusmodi. Tunc enim est virtus tua ma-

gna, quando promptus inveniris ad bonum. Et hoc modo Deus probat aliquando hominem non quod lateat eum virtus hominis, sed ut eam omnes cognoscant, et detur omnibus in exemplum. Sic tentavit Deus Abraham (Gen. 22, 2) et Job (1, 12). Et ideo Deus saepe immittit tribulationes justis, ut dum patienter sustinent, appareat virtus eorum et in virtute proficiant. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non* (Deut. 13, 3). Sic ergo Deus tentat provocando ad bonum.

XXXI. Tentationum triplex causa. Prima est propria caro.

Quantum ad secundum probatur virtus hominis per inductionem ad malum; et si bene resistit et non consentit, tunc virtus hominis magna est; si vero homo succumbit tentationi, tunc virtus hominis nulla est. Hoc autem modo nullus tentatur a Deo, quia sicut dicitur: *Deus intentator malorum est; ipse autem neminem tentat* (Jac. 1, 13). Sed tentatur homo a propria carne, a diabolo et a mundo. A *carne* dupliciter. Primo, quia caro instigat ad malum. Caro enim semper quaerit delectationes suas, scilicet carnales, in quibus est saepe peccatum.

Qui enim immoratur delectationibus carnalibus, negligit spiritualia. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua* (Jac. 1, 13). Secundo, tentat caro retrahendo a bono. Nam spiritus, quantum est de se, semper delectaretur in spiritualibus bonis, sed caro aggravans impedit spiritum. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (Sap. 9, 15). *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* (ad Rom. 7, 22). Sed haec tentatio, scil. carnis, est valde gravis, quia inimicus noster, scilicet caro, conjunctus est nobis, et sicut dicit Boetius, nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus, et ideo contra eam vigilandum est. *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Matth. 26, 41).

XXXII. Altera tentationum causa diabolus.

Diabolus fortissime tentat. Nam postquam conculcatur caro, insurgit alius, scilicet diabolus, contra quem est nobis magna colluctatio. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus*

principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum (Eph. 6, 12). Unde et signanter dicitur tentator. *Ne forte tentaverit vos iste qui tentat* (1. Thess. 3, 5). In tentatione autem sua callidissime procedit. Ipse enim sicut bonus dux exercitus, qui obsidet aliquod castrum, considerat infirma ejus, quae impugnare vult, et ex illa parte, unde magis est homo debilis, tentat eum. Et ideo tentat de illis vitiis, ad quae homines, conculcata carne, magis proni sunt, ut de ira, de superbia, et de aliis spiritualibus vitiis. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret* (1. Pet. 5, 8). Facit autem duo diabolus dum tentat, quia non statim proponit illi quem tentat malum aliquod apparens, sed aliquid, quod habeat speciem boni, ut saltem in ipso principio per illud removeat eum aliquantulum a proposito suo principali; quia postmodum facilius inducit ipsum ad peccandum, quando illum vel modicum avertit. *Ipse satanas transfigurat se in angelum lucis* (2. Cor. 11, 14). Deinde postquam induxit eum ad peccandum sic alligat eum, ut non permittat eum a peccatis resurgere. *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt* (Job. 40, 12). Sic ergo duo facit

diabolus: quia decipit, et deceptum detinet in peccato.

XXXIII. Tertia tentationum causa est mundus.

Sed et mundus dupliciter tentat. Primo, per nimium et immoderatum desiderium rerum temporalium. *Radix omnium malorum est cupiditas* (1. Tim. 6, 10). Secundo, per persecutores et tyrannos terrendo. *Nos quoque involvimur tenebris* (Job. 37, 19). *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2. Tim. 3, 12). *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (Matth. 10, 28). Sic ergo patet, quid est tentatio, et qualiter tentatur homo, et a quo.

XXXIV. Quomodo a tentationibus liberemur.

Sequitur videre qualiter homo liberatur. Circa quod sciendum est, quod Christus docet nos rogare non ut non tentemur, sed ut non inducamur in tentationem. Nam si homo vincit tentationem, meretur coronam, et ideo dicitur: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (Jac. 1, 2). *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad*

tentationem (Eccli. 2, 1). Item: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae* (Jac. 1, 12). Et ideo docet petere, ut non inducamur in tentationem per consensum. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (1. Cor. 10, 13). Nam tentari humanum est, sed consentire diabolicum est. Sed numquid Deus inducit ad malum, quia dicit: *Et ne nos inducas in tentationem?* Dico quod Deus dicitur inducere ad malum permittendo, in quantum scilicet propter multa peccata subtrahit homini gratiam suam, qua sublata, homo labitur in peccatum, et ideo cantamus: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine* (Ps. 70, 9). Regit autem hominem ne inducatur in tentationem, per fervorem caritatis; quia quaelibet caritas, quantumcunque parva, potest resistere cuilibet peccato. *Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem* (Cant. 8, 7). Item per lumen intellectus, quo instruit nos de agendis: quia sicut dicit Philosophus, omnis peccans est ignorans. *Intellectum tibi dabo, et instruam te* (Ps. 31, 8). Hoc autem petebat David, qui dicebat: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus*

meus, praevalui adversus eum (Ps. 12, 4). Hoc autem habemus per donum intellectus. Et quia cum non assentimur tentationi, servamus cor mundum, de quo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8). Ideo ex hoc pervenimus ad visionem Dei, ad quam nos perducat.

XXXV. Deus quadrupliciter liberat ab adversitatibus hujus mundi.

Sed libera nos a malo. Supra docuit nos Dominus petere veniam peccatorum, et quomodo possumus vitare tentationes; hic vero docet petere praeservationem a malis. Et haec petitio est generalis contra omnia mala, scil. peccata, infirmitates et afflictiones, sicut dicit Augustinus. Sed quia de peccato et tentatione dictum, dicendum est de aliis malis, scil. adversitatibus et afflictionibus omnibus hujus mundi, a quibus Deus liberat quadrupliciter. *Primo*, ne superveniat afflictio, sed hoc raro contingit: quoniam sancti in mundo isto affliguntur, quia ut dicitur: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2. Tim. 3, 12). Sed tamen alicui Deus concedit aliquando, ut non affligatur a malo, quando scilicet cognoscit eum impotentem,

et non posse resistere; sicut medicus infirmo debili non dat violentas medicinas. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habet virtutem* (Apoc. 3, 8). In patria autem erit generale hoc, quia nullus affligetur ibi. *In sex tribulationibus*, scil. praesentis vitae, quae per sex aetates distinguitur, *liberabit te, in septima non tanget te malum* (Job. 5, 19). *Non esurient, neque sitient amplius* (Apoc. 7, 16). *Secundo*, liberat quando in afflictionibus consolatur. Nam nisi Deus consolaretur, non posset homo subsistere. *Supra modum gravati sumus supra virtutem nostram* (2. Corinth. 1, 8). *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus* (ib. 7, 6). *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam* (Ps. 93, 19). *Tertio*, quia afflictis tot bona facit, quod tradunt mala oblivioni. *Post tempestatem tranquillum facis* (Tob. 3, 22). Sic ergo afflictiones et tribulationes hujus mundi non sunt timendae, quia facile tolerantur et propter consolationem admixtam et propter brevitatem. *Id quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum glo-*

riae pondus operatur in nobis (2 Cor. 4, 17), quia ex his pervenitur ad vitam aeternam. *Quarto*, quia tentatio et tribulatio convertitur in bonum, et ideo non dicit: *Libera nos a* tribulatione, sed a *malo;* quia tribulationes sunt sanctis ad coronam; et inde est, quod gloriantur de tribulationibus: *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur* (Rom. 5, 3). *In tempore tribulationis peccata dimittis* (Tob. 3, 13). Liberat ergo Deus hominem a malo et tribulationibus, eas in bonum convertendo, quod est signum maximae sapientiae. Quia sapientis est malum ordinare ad bonum; et hoc fit per patientiam, quae habetur in tribulationibus. Ceterae vero virtutes bonis utuntur, sed patientia malis; et ideo solum in malis, id est in adversitatibus, est necessaria. *Doctrina viri per patientiam noscitur* (Prov. 19, 11). Et ideo Spiritus sanctus per donum sapientiae facit nos petere, et per hoc pervenimus ad beatitudinem ad quam ordinat pax, quia per patientiam pacem habemus et in tempore prospero et adverso. Et ideo pacifici dicuntur filii Dei, quia sunt similes Deo. Sicut enim Deo nihil nocere potest, ita nec eis, quia nec prospera, nec

adversa; et ideo *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. 5, 9). *Amen* est confirmatio universalis omnium petitionum.

XXXVI. Compendiaria expositio totius orationis: Pater noster.

Ut in summa exponatur, sciendum est, quod in oratione dominica continentur omnia quae desiderantur, et omnia quae fugiuntur. Inter omnia autem desiderabilia illud plus desideratur, quod plus amatur et hoc est Deus, et ideo primo petis gloriam Dei cum dicis: *Sanctificetur nomen tuum.* A Deo autem desideranda sunt tria, quae pertinent ad te. *Primum* est, quod pervenias ad vitam aeternam; et hoc petis cum dicis: *Adveniat regnum tuum. Secundum* est, quod facias voluntatem Dei et justitiam; et hoc petis cum dicis: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Tertium* est, ut habeas necessaria ad vitam; et hoc petis cum dicis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et de his tribus dicit Dominus (Matth. 6, 33): *Primum quaerite regnum Dei,* quantum ad primum; *et justitiam ejus,* quantum ad secundum: *et haec omnia adjicientur vobis,* quantum ad tertium. Illa au-

tem quae vitanda sunt et fugienda, sunt illa quae contrariantur bono. Bonum autem quod primo desiderabile est, est quadruplex, ut dictum est. Et *primum* est gloria Dei, et huic nullum malum est contrarium (Job. 35, 6): *Si peccaveris, quid ei nocebis .... si juste egeris, quid donabis ei?* Nam et de malo in quantum punit, et de bono in quantum remunerat, resultat gloria Dei. *Secundum* bonum est vita aeterna; et huic contrariatur peccatum, quia per peccatum perditur: et ideo ad hoc removendum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Tertium* bonum est justitia et bona opera; et huic contrariatur tentatio, quia tentationes impediunt nos a bono operando, et ad hoc removendum petimus: *Et ne nos inducas in tentationem. Quartum* bonum sunt bona necessaria; et huic contrariantur adversitates et tribulationes; et ad hoc removendum petimus: *Sed libera nos a malo.* Amen.

INDEX.

Pag.

Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Oratione 1

Caput I. Jesus Christus N. Testamenti novam orationis formam docuit, triaque in oratione servanda praecepta tradidit . . 1

Caput II. Merito fidei Deus Pater noster est: in Patris vero appellatione etiam Filius invocatur nec Ecclesia praeteritur 4

Caput III. Nomen Dei Patris a Filio manifestatum in se quidem sanctum, ut in nobis aliisque sanctificetur, petimus . . . 6

Caput IV. Rogamus Deum, ut vires nobis subministret ad explendam ejus voluntatem, quam Jesus Christus praedicando, operando, sustinendo nos docuit . . . 7

Caput V. Optamus maturius regnare et non diutius servire 9

Caput VI. Alimenta tum spiritualia tum corporea petimus 10

Caput VII. Domini precamur clementiam . 11

Caput VIII. Expositio petitionis sextae et septimae 13

Pag.

Caput IX. Praestantia orationis dominicae admirabilis 14
Caput X. Orationi dominicae alias licet addere petitiones 14
Caput XI. Animo pacifico orandum est . . 15
Caput XII. Animo tranquillo et puro Deus est orandus 16
Caput XIII. Ante orationem manus non aqua lavandae, sed a vitiis servandae sunt mundae 16
Caput XIV. Christianorum manus mundae per baptismum 17
Caput XV. Ritus inanes vitandi 18
Caput XVI. De eodem argumento 19
Caput XVII. Modesta sit oratio 21
Caput XVIII. Osculum pacis est orationis signaculum 22
Caput XIX. Sacra communio jejunium non solvit 24
Caput XX. De habitu feminarum 25
Caput XXI. De velamine virginum . . . 26
Caput XXII. Virgines quoque obligari praecepto apostolico de velando capite . . . 27
Caput XXIII. De ritu flectendi genua . . 34
Caput XXIV. De orationis loco 35
Caput XXV. De tempore quo orandum est . 35
Caput XXVI. De modo quo fratres excipi debent 36

Pag.

Caput XXVII. Psalmi pie orationi adduntur 37
Caput XXVIII. Qualis esse debeat oratio nostra 38
Caput XXIX. De vi et efficacia orationis christianae 39
S. Cypriani liber de oratione dominica 42
I. Evangelicorum praeceptorum praestantia 42
II. Qui fecit vivere docuit et orare . 43
III. Oratio dominica quam efficax sit apud Patrem 44
IV. Qua reverentia et modestia Deus orandus sit 45
V. Exemplum Annae 46
VI. Humiliter orandum est 47
VII. Quid sit orandum 48
VIII. Publica sit nobis et communis oratio 49
IX. Pater dicimus, quia filii esse coepimus 50
X. Deus Pater est eorum, qui credunt et per eum renati sunt . . . , 53
XI. Si Deus est Pater, quasi filii conversari debemus 54
XII. Ut sanctificatio in nobis permaneat oramus 55
XIII. Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum . . . 57
XIV. Oramus ut fiat in nobis voluntas Dei 58

Pag.

XV. Voluntas autem Dei est, quam Christus et fecit et docuit 60
XVI. Oramus ut voluntas Dei fiat in coelo et in terra i. e. in spiritu et corpore 61
XVII. Alia ejusdem petitionis explicatio . 63
XVIII. Panem nostrum i. e. Christum dari nobis quotidie petimus, ut a sanctificatione ejus et corpore non recedamus 64
XIX. Diurnum debemus cibum petere, nec in longum petitionis desideria extendere 66
XX. Docet Christus non tantum contemnendas sed et periculosas esse divitias 67
XXI. Habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit 68
XXII. Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ne quis sibi quasi innocens placeat 69
XXIII. Lex secundum quam nobis peccata dimittuntur 71
XXIV. Pacificorum tantum Deo accepta est oratio 72
XXV. Nihil contra nos adversarius potest, nisi Deus ante permiserit . . . 73
XXVI. Potestas vero adversus nos ei datur

Pag.

vel ad poenam vel ad gloriam. Hac petitione admonemur simul imbecillitatis nostrae 74
XXVII. Ultima petitio est adversus cuncta, quae contra nos molitur inimicus noster 75
XXVIII. Omnem precem nostram salutari Deus sermone breviavit 76
XXIX. Non verbis tantum sed et factis Dominus orare nos docuit . . . 77
XXX. Orabat autem non pro se sed pro nobis 78
XXXI. Animo vigili et attento orandum est 79
XXXII. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio 81
XXXIII. Cito orationes ad Deum ascendunt, quas bona opera commendant . . 81
XXXIV. Certae orationis horae antiquitus observatae fuere 83
XXXV. Orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt 84
XXXVI. Die noctuque orandum est . . . 86
S. Thomae Aquinatis expositio in orationem dominicam 88
I. Oratio dominica est oratio secura . 88
II. Oratio dominica est oratio recta . 90
III. Oratio dominica est oratio ordinata 90

		Pag.
IV.	Oratio dominica oratio est devota .	91
V.	Oratio dominica est oratio humilis	92
VI.	Orationis effectus triplex . . .	93
VII.	Quomodo Deus Pater noster sit .	94
VIII.	Quaenam sint officia nostra erga Deum Patrem	94
IX.	Quid debeamus proximis	96
X.	Fiducia ad orandum optima est dispositio; ea nobis verbis, qui es in coelis, inspiratur	97
XI.	Petitio prima. Proprietates nominis divini	102
XII.	Sanctum aliquid tripliciter dici potest	104
XIII.	Petitio secunda oritur ex affectu pietatis	105
XIV.	In secunda petitione petimus primo, ut justi convertantur, peccatores puniantur et mors destruatur . .	106
XV.	Petimus deinde, ut simus participes regni coelestis	108
XVI.	Petimus tertio, ut non regnet in nobis peccatum, sed ipse Deus . . .	110
XVII.	Donum scientiae inducit nos ad petitionem tertiam	111
XVIII.	Vult nos Deus vitam habere æternam	113
XIX.	Alia voluntas Dei est, ut servemus mandata ejus	114

Pag.

XX. Vult Deus, ut restituamur eum in statum, in quo creatus fuit primus homo 116
XXI. Cum dicimus: Fiat voluntas tua, oramus ut voluntas Dei fiat etiam in carne nostra 117
XXII. Dono fortitudinis docemur panem petere quoditianum 119
XXIII. Tribus prioribus petitionibus spiritualia petimus, quarta temporalia, circa quae quinque sunt vitanda vitia 119
XXIV. Duplex alius panis 124
XXV. Consilium est Spiritus S. ut petamus a Deo veniam peccatorum . 124
XXVI. Quinta petitio docet nos semper esse in timore et humilitate . . 126
XXVII. Fovet haec petitio in nobis spem . 128
XXVIII. Culpa contritione, poenae vero temporales confessione quoque et indulgentiis remittuntur 129
XXIX. Si non dimittimus debitoribus nostris nec nobis dimittetur . . . 136
XXX. Quid sit tentatio 137
XXXI. Tentationum triplex causa. Prima est propria caro 139
XXXII. Altera tentationum causa diabolus 140

Pag.

XXXIII. Tertia tentationum causa est mundus 142
XXXIV. Quomodo a tentationibus liberemur 143
XXXV. Deus quadrupliciter liberat ab adversitatibus hujus mundi 144
XXXVI. Compendiaria expositio totius orationis: Pater noster 147
Adnotatio I. complectitur cc. 7, 8. concilii plenarii carthaginensis de sensu petitionis quintae orationis dominicae . . . 127
Adnotatio II. rationem reddit, quare is, cui peccata virtute contritionis jam remissa sunt, teneatur adhuc ad potestatem clavium recurrere 130
Adnotatio III. explicat sensum verborum S. Thomae dicentis, invenisse successores apostolorum beneficia indulgentiarum . 134

A. M. D. G.

GTU Library
3 2400 00659 9447

THREE DAY
CIRCULATION

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.